R. IOSEPHI ALBONIS, R. DAUIDIS KIMHI, ET ALIUS CUIUSDAM...

Josef Albo, David Qimḥi, Gilbert Genebrard





R·IOSEPHI ALBONIS, R. DAVIDIS KIMHI, ET ALIVS CVIVSDAM HEBRAEI

anonymi argumenta, quibus nonnullos fidei Christianæ articulos oppugnant.

G. GENEBRARDO BA. THEOLOGO INTERPRETE.

Ad eorum singulas disputationes eiusdem interpretis responsa, in quibus multa de Deo, de Tribus diuinitatis hypostasibus, de Christo, Eucharistia, lege, Euãgelio, & mysteriis similibus, quorum nomenclaturam extrema pagina exhibet, pertractantur.

Liber vel illo solo vtilis, quòd multa, aduersus recens TRINITARIORVM dogma, hoc infœlici æuo, in Lituania & Polonia de tribus diuinis essentiis atque diis excitatum, declaret.



PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni D. Christophori è regione gymnasi Cameracensium.

M. D. LXVI.



ANTONIO DV PRAT ABBATI DE BON LIEV MECOENATI suo G. Genebrardus Theologus.



VT apud me retractarem, quæ superioribus annis in nostris scholis Theologicis de natura Dei, de Trinitate, de Lege, de Euangelio, de Sacrificiis, & compluribus aliis disputauimus, animum lubens conuerti ad eorũ defensionẽ, quæ contrà Iudæorum Rabbini obiiciũt. Auxerunt ardorẽ infœlices illæ Trinitariorũ, siue Tredeitarum turbæ, quibus in regno Poloniæ & magno litVaniæ ducatu Gregorius Paulus, Cazanonius, Homanus, Paclesius, Stanilaus Lutomierus, eorũque administri seditiosissimis de S. Trinitate concionibus ac libris canũt classicum, post tot ab Arrianis aut etiam à Philoponianis toto orbe profligatis secula. Et quamquam aduersus istos, si pergant furere (pergent autem, ni Deus reprimat, quoniam solutus est Sathanas) differendi aliquandò amplior locus dabitur, tamen præsentem occasionem prætermittere nolui, vt vno conflictu duo monstra Dei ope, de cuius causa agitur, si non domarem, certè auertere conarer. Hunc autem laborem neutiquam esse fructuosum, nullo pacto mihi persuadere possum, quippè cùm sperem hinc multos exprompturos arma, quibus cum Iudæis (vt missos faciam, quos modo nominaui, Trinitarios) Venetiis,

Bononiæ, Patauii, Viennæ austriacæ, cæterisque in locis, in quibus libera est Iudæorum habitatio, congrediantur. Vix enim alia agitaturi sunt, quàm quæ à suis Doctoribus, inter quos præcipuo sunt nomine Iosephus Albo & Dauid Kimhi, vident exculta atque elaborata. Deinde, vt hæc è multis pauca sint, quæ ipsorum alÿ aduersum nos disseruerunt, non eos tamen puto plures religionis articulos, quàm quos de Hebræo hoc opere Latinè interpretamur, suis in cæteris libris reprehendere. Nec Rabbi Ioseph Kimhi iusto suo volumine, quod inscribitur גלוי עורים (Ita enim Christianos, penes quos solos est cœlestis doctrina, miser iste vocat) plura oppugnanda mihi videtur suscipere potuisse, quàm hoc loco filius R. Dauid. In his autem refellendis secutus sum Augustini, in quadam contra Arrianos disputatione, methodum. Adiunxi enim sermonem aduersarii à capite responsionis meæ, & adhibui ad singula numeros, quibus inspectis, quid cuique loco responderim, facilè possit attēdi. Simul intereà tangentur omnes huius gētis miseratione, quæ aliquot locis tā crassas ratiocinationes cōficit, vt tibi etiānum videre videaris Aegyptios in illis tractabilibus tenebris versari, quarum meminit Exodi liber. Nimirum Christū Dominum mēeibus suis expulerūt, qui eas solus collustrare potest, summoueréque velum, quod obtendendum fuisse ipsorum animis antiqui Vates prædixerunt. Quam deploratione̅ vt vel solùm hoc meo scripto obtineam, satis rationis mihi habere videor, quò studium institutumque nostrum omnes probare, te etiā, vir integerrime, humanitate, qua reliquæ soles, prosequi rogem. Vale. E nostro Parisiensi Musæo Calendis Ianuarij, Anno Domini 1566.

Aug. lib. 2. Retract. cap. 52.

R. IOSEPHI ALBONIS, CONTRA *Christianos disputatio, quæ est caput 25. orationis tertiæ libri, quem de* עקרים *seu articulis legis Mosaicæ conscripsit.*



Disputauit mecum Christianorum sapiẽtum vnus haud vulgariter eruditus, dicens rem quamque explorari ex causis suis materia, forma, efficiente, fine, legem autẽ Mosis in omnibus his, eum ad illas exigitur, imperfectam reperiri. Ex parte quidem materiæ, quòd in illa sint narrationes atque sententiæ alienæ, quæ legis rationem subire non possunt, hoc est, quæ ad vitam moderandam & dirigendam minimè pertinent. Contrà in lege Iesu nihil extare, quod legis appellatione non censeatur. Ex parte verò efficientis, quoniam Mosaïca, mysteria diuina, quæ Trinitatem insinuant, occulta admodum prætereat. Fieri enim non posse, vt per eam perfectio conditoris, qualitatesque eius aliquo modo intelligantur. Dicebat autem hoc intelligi ex Nazareni lege, quæ explicatè doceret Deum esse Patrem, Filiũ & Spi-

In codic. Hebr. Nozereorum.
Nos autem intelligunt.
Elias in Tisbi. & Tertul. lib. 4. cont. Marcio.

ritum Sanctum, & omnes hos rem vnam existere. Ex fine etiam idem effici pronunciabat, quòd Nostra lex animo fœlicitatem, quæ humanus finis est, non metiretur, sed corporeas fœlicitates tantùm poneret, cùm lex Christiana non corporis, sed animi beatitudinem inducat. Similiter ex forma. Oportere enim legem tria complecti. Primò officiũ hominis erga Deum, hoc est, præcepta ad Dei cultum pertinentia, quæ lingua eorum Ceremonialia appellantur, nempe, præcepta, quæ aliquis Deum colendi causa præstat. Kyrie enim lingua Græca Deum significat. Deinde præcepta, quæ alij in alios gerere debent, id est, iura, quæ nuncupantur iudicialia, præcepta scilicet, quæ notatur de vnius cum altero contractu ratione accepti & dati, qualia obligant ex parte ciuilis societatis. Tertiò officia vnius erga se, quæ Moralia vocantur, id est præcepta, quæ homines agunt, vt animis suis probam affectionem metu peccati, & mansuetudinem, hisque similia, quæ animum imbuunt honesta dispositione, ingenerent. Cœterum, inquiebat, cum exigitur lex Mosis ad tres has præceptorũ species, in omnibus imperfecta reperitur. Nam quod attinet ad hominis erga Deum officiũ, quod in præceptis religionis, hoc est, in doctrina modorũ, quibus cultus diuinus ritè perficitur, positum est, defectione certè non vacat. Mandat enim cædem animalium, exustionẽque carnis & adipis & effusionẽ sanguinis atque aspersionem, quæ culturæ fœdæ sunt, cùm nihil tale fiat in lege Christiana. Eius enim

Ineptè ceremonias à κύριος deriuat, non à Cerete insula.

Quantò lex Christi sit Mosaica perfectior Nostrorum sententia.

nim cultus simplex est & purus in solo pane & vino. In mutuis autem officiis, quæ sunt iudicia & præcepta ciuilia, manca similiter est, propterea quòd concedit fœnus hac oratione, Externo fœnerabaris, rem quæ statum societatẽ que eiusdem corrumpit. Præcipit quoque, vt qui hominem imprudenter occiderit, abeat in exilium ad mortem vsque magni pontificis. Atqui hæc pœna inæqualis est, cũ interdum diuturnior sit, interdum breuior. Deinde iure qui hominem imprudens interfecerit, occidi nequit, & tamen lex Mosis permittit sanguinem eius, interempti consanguineo, adeò, vt si illũ necauerit, à cæde sit immunis. Vnde fieri potest, vt qui dedita opera hominem interemit, impunis viuat, qui verò imprudenter, luat mortis pœnas. Porrò non ita fit in lege Iesu, omnibus in sententia iudicum positis. Præterea, quòd ad priuatos cuiusque mores spectat, lex Mosis tantùm attingit operis rectitudinem, non cordis munditiam, Lex autem Iesu iudicit etiam animi puritatem, vt proinde hominem à iudicio gehẽnæ liberet. Illa sunt, quæ è verbis Christiani summatim deducebantur. Cæterùm respondi cuncta hæc cũ veritate pugnare, aliena à rationum legis intelligentia, speculatione & cognitione. Ante quam autẽ verba eius diluam hypothesim vnam subiicio, in qua dubitatio apud homines sensu bene affectos nulla existit. Néperope oportere, vt rei, quæ fidei subiicitur, subsistentia possit mente formari, etiam si naturæ vi fuerit impossibilis, quemadmodum declaratũ oratione prima

Deu. 23.

Num. 35.
Deut. 19.
Iosu. 20.

ma capite vigesimo secundò. Quòd enim, quæ natura edere non potest, qualis est maris fissio, virgæ in anguem commutatio, cætera signa atque miracula, quæ in lege prouenerunt aut in Propbetarũ oraculis cõmemorata sunt, cùm eorum essentiam figurare animus valeat, Deus omnipotentia sua producere & efficere possit fide persuasum est, Quorum verò cohærentiam imaginari non potest animus, vt rem esse & non esse simul eodem tempore, * aut corpus vnum in duobus distãtibus locis desidere, aut numerum vnicum per se parem imparemque simul esse & bis similia, quorum essentiam animus nullo modo fingere potest, ea sub fidem eadere prorsus nequeunt, neque Deus in huiusmodi potestatem vimque babere dicitur. Quemadmodum ei nullo modo tribuitur, quòd possit alium sibi æqualem procreare, aut efficere vt quadrati dimetiẽs æquetur lateri, aut quod præteritum est non sit præteritum. In illud enim, cuius existentiam mens comminisci nequit, Dei potestatem ferri non dicimus, propterea quòd tale sit ex his, quæ omnino fieri non possunt. Et propterea fieri nequit, vt in id fides cadat. Nam credere impossibilibus ex eorum numeco non est, quæ animũ perficiunt. Si enim fides impossibilium per se, animo speciem perfectionemque daret, intelligentia siue mens homini frustrà tributa esset, nec bomo præstaret animantibus, siquidẽ mens ad illud credendum, in quod fides eadere ponitur, nequeat ingredi.

In quibus posita sit Dei omni potentia.

**His infra respõdetur numeris 5 & 2. hoc enim propter Eucharistiam & S. Trinitatẽ astutè præmisit.*

His

His constitutis affirmo illud ipsum, ex quo colli- *Legem Mo-*
gebat legem Mosaicam imperfectam esse ratione *saicam non*
materiæ, declarare, quàm ipse imperitus sit legis *esse imper-*
Mosaicæ. Nullum enim est verbum, nulla narratio *fectam.*
in lege Mosis, quæ non sit legi necessaria, siue ad
docendum scientiam aliquam & disciplinam, siue
ad declarandum præceptum aliquod legale. Nam *Gen. 36.*
vel illud, Et Thamna fuit concubina Eliphaz filij
Esau, necesse erat scribere, vt distinctio fieret inter *Deut. 25.*
Amalec, cuius internecionem lex imperat, & reli- *1. Reg. 15.*
quos Esau filios, de quibus dictum, Non abomina- *Deut. 23.*
beris Idumeum, quòd frater tuus sit. Ita reliquæ
propositiones se habent apud candidos æstimato-
res. Ac iam quidem legis nostræ interpretes de eo-
rum singulis prolixas commentationes ediderunt.

1 Quod autem subiicit secus se habere legem
Iesu, certè nō inuenimus Iesum legem tulisse, quin
immò ipse per sese mādauit seruare legem Mosis.
Nec Euangelia sunt lex, sed enarratio ortus eius
& signorum, quæ ipsum, dum viueret, edidisse di-
cunt, qualia comperimus facta per prophetas, qui
legem intereà nullā condiderunt. Porrò quæ in E-
uangeliis pertinent ad disciplinam & doctrinam
illorum, quorū cognitione populus actiones suas
componit, omnia dicuntur in parabolis & ænig- *Contendit*
matibus. Tale autem alienum est à legis ratione. *Euangelium*
Quod enim countiatur sermone ænigmatico & *non esse le-*
parabolico, non nisi ægrè in certa intelligentia & *gem.*
proposito cōsistere potest, propter eáque illud est,
quod scriptura declarat, prophetiam Mosis non *Num. 12.*

fuisse

fuisse in ænigmatibus. Quoniam enim lex tradita est eius ministerio, nõ decuit, vt ipse vteretur ænigmatibus pro more Diuinorum vatum. Nam ita loqui in Prophetia non est magna perfectio, cum in oratione ænigmatibus & allegoriis expressa, vt in vaticinatione Zacharię, non sit perfectio satis consentanea, quòd indigeat expositione ferréque possit multiplices, eásque diuersas, interpretationes.
Ezech. 20. Et proinde Ezechiel de eo conqueritur, quòd Prophetiã diceret per parabolas, Heu, inquit, Domine Deus, nonne ipse dicunt de me, Nunquid num per parabolas loquitur iste? Videbat nimirum id desiderari in sua vaticinatione, vt idcirco cum eo
Eze. 21. cœperit Deus loqui disertis verbis atque apertis. Et sanè clarum est abhorrere à conditione legis, vt careat ea dicendi forma, quę in Propheticis laudibus omniũ est probatissima. Ex eo enim laudat scriptura legem Mosaïcam, dicens, Aduerso ore
Num. 12. alloquar eum & in visione, non in ænigmatibus. Constat igitur Legalem orationem ænigmatibus enunciatam non carere imperfectione ex parte materiæ, contrarium profectò eius, quod Nazarenus existimabat. Et sic imperfectam esse ratione efficientis, quòd non descripserit diuinas proprietates, planè rei veritati contrarium est. Apertè enim in articulis ponit Deum esse vnicum, illúmque expertem corporis. Declarat Deum conspici non posse, dicente scriptura, non videbit me homo & viuet. Tradit id, quod de eo percipitur, oriri ex cõditionibus, quibus se erga creaturas suas gerit,

rit, quemadmodum innotuit Mosi, cum Deo dice- *Exod. 34.*
ret, Ostende mihi quæso vias tuas & sciam & in-
ueniam gratiam in oculis tuis. Docuit enim eum
tredecim proprietates, quibus res procreatas, regit
& gubernat, vias suas esse, per quas in hominibus
existit cognitio modò maior, modò minor, prova-
ria dignitate eorum, qui intelligentia valent. Cæ-
terum propriæ ipsius notæ comprehẽdi nequeunt.
2 Quod autem lex Mosis silentio præterit Tri- *Trinitario-*
nitatem, id ideo factum est, quòd huiusmodi sen- *rum hæc ho*
tentia secundum mentis considerationem veritati *die hæresis,*
consentanea non sit. Nempe lex non continet sen- *qui proindé*
tẽtiam à veritate abhorrentem, qua dicitur Vnum *tres illas res*
esse Tria & Tria ita esse Vnum, vt nihilo minus *non vnum,*
tres res sint separatim per se consistentes, sicuti eo- *sed plane*
rum confessio habet. Nam cùm Philosophi Deũ *tres Deos*
dicunt, esse & mentem siue intellectum, & intelli- *esse sentiũt.*
gentem & id quod intellectu percipitur, ita tamẽ,
vt sit vnus maximè, longè alia insistunt via. Non *Alexander*
enim credũt in eo esse tres res separatim per se co- *νόησις,*
hærentes. Absit. Sed asseuerant rem vnã eandém- *νοῶν, νοού-*
que tribus his dici vocabulis triplici respectu. Ipse *μενος.*
enim Deus intelligentia est simplex absque vlla שכל
compositione. Quoniam igitur intelligentia est, משכיל
oportet necessario intelligat, atque ita sit intelli- מושכל
gens. Cúmque non intelligat res extra essentiam
suam (pro falso enim haberi debet, perfectionem
ipsius pendere ab alio & esse aliud quiddam quod
eum de potestate in actum adducat) hac ratione
est id, quod intelligitur actione continuata. Nec
tamen

tamen cũ his omnibus ullo modo unitas eius multiplicatur. In Diuinitate autem tres esse res separatas, quarũ singulę per se cõstẽt, sintque actu distinctæ aut personæ, ut ipsi loquuntur, & quæ sint unũ, fieri nullo pacto potest, nisi contradicentia duo simul concedantur, quod pugnat cum sententiis primis atque communibus. Existentiam enim eius ratio sine mens imaginari prorsum nequit. Et idcirco ab essentia diuina similiter corpoream naturam Lex remouet, ne eam credamus, monens, Custodite, inquit, sollicitè animas uestras, quia non uidistis aliquam similitudinẽ in die qua loeutus est uobis Dominus in Oreb de medio ignis, ne forte corrupti faciatis uobis sculptam similitudinem ullius simulachri.

Deus incorporeus.

Deut. 4.

De fine seu fœlicitate legis.

3 Præterea ratione finis non carere defectione, dum mẽtionem non ingerit spiritualis fœlicitatis, est similiter falsum. Signis enim atque inuolucris illam prudentibus satis ostendit, uti commemorabimus oratione quarta, iuuãte Deo. Latè quidem non explicare fateor, sed id factum, quia Lex non tantùm data est intelligentibus & doctis, uerum etiam uniuerso populo, magnis indifferenter & paruis, sapientibus & stultis. Itaque in ea res, quæ ab omnibus intelligerentur, & quæ ad fidem faciendam accommodatæ essent, consignari oportuit. Ac sanè illa quæ sensu habentur, sub fidem magna omnium consensione cadunt. Quæ uerò sola intelligentia sine sensu comprehendũtur, solis sapiẽtibus cognita, fidem prorsus uulgo non faciunt,

immò

immò verò vulgus ait id, quod à sensu alienũ est, improbabile esse atque falsum. Quamobrẽ lex res corporatas, notas oculo, sensúq; ab vniuersa plebecula potissimùm perceptas, explicatè in promptu posuit, quæ autem sub intelligentiam veniunt non nisi sapientibus cognita, in signo atque mysterio, vt viritim omnes pro captu intelligant Legis beneficio percipi fœlicitates omnes & corporis & animi, quo tempore peccatum, vt animi perceptio crassa sit & corporalis, non efficit. Non enim naturæ vi & ingenio demõstrationes de spiritalibus consequimus. Horum testis est Balaam, qui cum alienus à genere Israelico, sapiénsque & Propheta esset, Moriatur, inquit, anima mea morte rectorũ, sitque nouissimum meum sicut eius. Videtur enim ratione sapientię Prophetiæque suæ intellexisse Israeli optimũ finem expectationémque fuisse propositam, adeo vt optaret sibi vita functo talem finem spémque contingere. Nempe intelligebat fœlicitatem huius vitæ demonstrare eam quæ in altera futura erat, eóque magis, quòd miracula continua in populo, præter mundi cursum, beatitudinem qua animus in alio mundo perfruetur, apertè ostenderent. Sic enim singulis temporibus prioris templi perpetua quadam progressione Prophetica facultas in Israele extitit. Quin etiam in posteriore templo, vbi nulla extabat prophetica visio, sæpe edebantur responsa per oraculum siue vocis quandam imaginem, aliáque signa continuabantur in populo. Exempli causa, terra nòn culta

singulis

singulis sextis annis prouentum in triennium fundebat, vti Deus promiserat hac oratione, Mandabo benedictionem meam vobis anno sexto & afferet prouentum in tres annos. Similiter vno quóque anno dimissionis de quo scriptura inquit, Cōgrega vniuersum populū, viros, mulieres, pueros, aduenas tuos, qui in portis tuis, &c. ascendebant omnes in festum tabernaculorum, vt audirent legem, nec tamen vllus, vt prædixerat Dominus, appetebat terram eorum, dum illuc ascenderent. Ita reliqua signa, quæ perpetuabantur in Sanctuario, quemadmodum ea numerant in Talmud, tractatu Auoth. Sed & in tractatu Ioma aiunt linguam coccineam solitam albescere quotannis die expiationum. Qualia multa alia prodigia, quæ illic recensentur, continua erant in populo, cuiusmodi non succurrunt in natione Christiana, vbi nullum est signum continuatum, quod veritatem fidei ipsorum declaret.

Leuit. 25. *Deut. 31.* *Exod. 34.*

Fœlicitatem regnorum non demōstrare verā religionem.

Probatio autem, quam ex fœlicitate eorum, qui fidei suæ credunt, assumunt, prorsus nulla est. Siquidem ante datam legem plus mille annis constat gentes coluisse idola, paucis singulariter exceptis, veluti patribus & similibus, quarum tamen singulæ in regno sibi priuatim attributo fortunabātur, perseuerabántque in pace & tranquillitate. Deinde etiam post promulgatam legem cunctæ regiones adorabant Deos exteros, præter Israelitas, & vnaquæque prosperabatur in suo imperio. Nec fœlicitas Sennacherib, Nabugdonozoris, Alexandri,

lexandri, cùm imperarent Israëli, argumento est religionem eorum meliorem fuisse Israelica. Ac sane etiã hodiè Nazareni fatẽtur instituta Ismaelitarũ esse legalia positiua, nõ diuina & nihilo minus cuncta eis succedunt, tyrannidémque in magnã orbis partẽ exercent. Quamobrẽ perspicuũ est fœlices gẽtium successus nõ arguerè bonã earum fidẽ.

4 Verum demonstratio veræ fidei posita est in continuatione signorum, vti perpetuabantur in Israële, cum in sua ipsorum regione degerent, quam non reperias apud eos, qui religioni Christianę aut Ismaëlicæ dediti sunt. Quod autem prætendunt beatitudinem animæ in futuro sæculo, inter nos quæritur itáne sit, néene. Ecquęnã verò eius possit afferri demonstratio? Falsum quoque est & planè veritati dissentaneum, legem, quod ad formã pertinet, imperfectam esse. In cunctis enim partibus, quas legem dicebat comprehẽdere oportere, omnis generis perfectione absoluta est. In his quidem præceptis, quæ homines erga Numen seruare debent, id est, in ceremonialibus, siue mãdatis de cultu & religione, completa ex eo intelligitur, quòd imperat orationem, dum ait, Coletis Dominum Deum vestrũ, & benedicet pani tuo & aquis tuis. Hic enim cultus necessario genus est orationis, quemadmodum docuerunt Doctores nostri, quos fœlix sit nominasse, & docturi sumus, adiutore Deo, quarto huius operis tractatu. Ex eo etiam, quòd hortetur ad dilectionem & timorem Dei, cùm inquit, Diliges dominum Deum tuum, & timebis

De miraculis.

mebis

mebis a Deo tuo, &, Timebis Dominũ Deum tuũ & ei seruies. Si deinde insistenti cultus per de ustio nẽ carnis, adipísve & sanguinẽ turpes esse, respõ-
Cur sacrifi- deamus, oblationes non fuisse Istaelitis imperatas,
cia institu- nisi secundariò, ne scilicet idolis sacrificarent, sicu-
ta, tres Heb. ti placet R. Mosi Maimonis filio, istiusmodi obie-
sententiæ. ctio prorsus corruet. Non enim fuerit in oblationibus institutũ aliud, quã purgata mentis voluntate, procul eos facere à sacrificatione Idololatrica, astipulãte Hierem[illegible] Quia, inquit, nõ sum locutus
Hier. 7. cum patribus ve .ris, nec pręcepi eis, in die quo eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum & victimarũ, sed hoc verbũ præcepi eis dicens,
Secunda. Audite vocẽ meam, &c. Corruet similiter si defendamus nõnullas oblationes primò & per se institutas esse ad excitãdũ animũ siue peccãtis siue alterius cuiuslibet. Sicut enim agnus & reliquæ animãtes, ex quibus fit sacrificatio, cùm viuerẽt & nutrirẽtur perindè atque homo, vrebantur tamen & consumebantur, neque ex his relinquebatur quicquam, nisi quod vellet Dominus, ita ipse hunc in modum consumitur, neque ex eo aliquid aliud superest, quàm opus, quod agit ex creatoris acceptatione & beneplacito, quoniã scriptũ, Et faciemus beneplacitũ eius, quæ est hominis supra bestias excellentia. Eóque modo dare debet operã capessẽdis his, quæ bona rectáq; sunt in oculis Domini, vt causa sit stabilitatis animę suæ, quę pręcipua est hominis
Tertia. perfectio. Quòd si oblationes eò pertineãt, veluti sentiũt sapiẽtes Cabbalici, vt superiores facultates copulentur

copulentur & colligentur inferioribus, non propterea tamen dici poterunt dissentaneæ, cùm sensus restificetur res huiusmodi acceptas esse Deo. Nam certè ignis descendebat de cœlo, & depascebatur super altari holocaustum & adipes. Ignis enim descendit Mosi in tabernaculo conuentus, Salomoni in æde Sanctuarij, Dauidi in area Areunæ Iebusæi, Eliæ in monte Carmelo. Præterea diuinitas siue spiritus Sanctus habitabat in Israële bonorum causa, ac Sacerdos futura denunciabat ex Vrim & Tummim, vt sensu ipso patuit. Idne dicent de suis oblationibus Christiani, cùm nunquã apud eos perspectum fuerit signum verum, perpetua temporum successione omnibus cognitum & publicatum, vti factum est in Nostrorum hostiis? At prosunt animis, inquies. Atqui id caret testimonio sensus, nec mens huius rei documẽtum præbet vllũ. Nunquid nõ de similibus prouerbio pulchrè fertur, Qui mẽtiri vult, procul ablegat testes suos?

5 Cùm porrò aiunt sacrificium panis & vini esse oblationem, longè errant. Non enim panis & vinum, sed, vt ipsi quidem profitentur, ipsum Dei sui corpus offertur. Affirmant enim, corpus Iesu, quod in cœlis multò grandius est quãtitate & magnitudine, ad altare concedere, seque pane & vino inuestire, vbi absoluta sunt verba Sacerdotis, nec referre, probúsne sit an improbus, efficíque corpus vnum cum corpore Christi, quod descendit de cœlo sine spatio temporis: post manducationẽ autem & potum ascendere rursus in cœlum ad lo-

De Eucharistia.

Quid de mysterio eucharistiæ acceperint Hebræi.

cum suum, atque ita in singulis aris existere. Hæc enim est eorum de hoc sacrificio sententia. Atqui in hac fide quædam sunt absurdissima hominum intelligentiis, & quæ non possit mens humana capere aut conformare. Nam ita omnia militant cũ sententiis primis, & sensis communibus, quòd necesse sit primùm credere motum sine tempore reperiri per illud totum spatium, quo cœlum supremum, solumque gloriæ à terra distat. Tum vnum corpus esse in duobus locis, aut in locis multis differentibus, cùm corpus Christi extet in multis diuersis altaribus eodem tempore. Deinde ita ascendere & descendere corpus Christi, vt non findatur corpus cœleste. Cœli enim fissionis capaces non sunt. Postremò cùm dicunt carnem & sanguinem, quæ momento efficiuntur ex panis vinique substantia, certo temporis articulo esse substantialiter corpus Christi, quod à prima sui origine fuit, sine incremento aut diminutione pristinæ quantitatis, eò res deducitur, vt credere oporteat penetrationem dimensionum posse cõsistere. Hæc autẽ omnia, præterquàm quòd labefaciunt notiones primas, euertunt etiam id quod sensum afficit. Prædicant enim panem & vinum, quę videntur oculo, non esse cibum, neque alere hominem aut animal quod eis vescitur, cùm videamus panem illum, similiter & vinum illud, si sumerentur magna copia, nutritura esse homines qui bis vterentur, & transitura in partem membri, perinde atque fit in reliquis panis & vini generibus. Præterea sentiunt substan-

substantiã panis & vini conuerti in corpus Christi relictis per se sine subiecto accidentibus. Gustum autem, aspectum, odorem, cõtactum, grauitatem, leuitatem, mollitiem, duritiam, quæ sentimus in pane, non inesse pani, quòd substantia illa corpulenta sibi abierit, versaque sit in corpus Christi. Huiusmodi autem omnia ex eorum numero sunt, quę nec animus concipere, nec os eloqui, nec auris audire potest. Quo igitur pacto in id & similia, quæ intelligentia & sensus coarguit, fides cadet? Quãobrem Iudæus, qui assuefactus est notionibus veris, quæ non tollunt sensum, neque militant cum sententiis primis, ex lege Mosis, quam omnes fatẽtur diuinam, & in propatulo ante hominũ myriades plures sexaginta editam esse, opponens dicat animum suum non sine violentia res mente non perceptas credere. Qui enim credere possit homo illud, cuius existentiæ speciem siue ideam intelligere ac cognoscere nequit? Cæterum quanto minus se crediturum affirmabit verbis, quæ extant in lege Iesu, cùm videat id, quod pro principio, articuloque fidei habent, nempe Iesum esse Christum filium Dauidis, apud eos esse incertum, sitne Dauidis filius, nécne.

6 Capite enim primo Euangelij Matthęi, genealogia Iosephi mariti Mariæ, siue, vt ipsis placet, spõsi, ad Salomonem & Dauidem refertur, isque traditur ortus regio semine, cùm capite tertio Euangelij Lucas scribat illum non esse de stirpe regia, illius autem genus accenseat Nathani Dauidis filio, *De genealogia Christi.*

lio, & vtraque genealogia non nisi Iosephi existat.

De virgini tate D. Mariæ. 7 Defendunt etiam Iosephum nunquam rem habuisse cum Maria siue ante Iesu partũ, siue post. Et quanuis diserte inueniatur in Matthæi Euãgelio, Ioseph non cognouit Mariam donec peperit Iesum primogenitũ suum, (Ex hoc enim locutionis genere videtur post partũ cum ea rem habuisse, quod etiam quadrat cum euentu, Iesus enim habuit fratres)ipsi tamen intelligunt per fratres, propinquos, siue consanguineos, & id, quod dictũ est, Ioseph non cognouit Mariã, donec peperit Iesum, exponunt perinde atque in hoc scripturæ nostræ loco, Non relinquam te, donec fecerim quod tibi locutus sum: & quemadmodum explicamus, Non

Gen. 49. auferetur sceptrum de Iuda & legislator de medio pedum eius, donec veniat Silo & in ipsum erit expectatio populorum. qua scriptura significatur, ne postea quidem ablatũ iri sceptrum. Atqui iuxta hanc interpretationem enumeratio stirpis Iosephicæ nihil ipsi Iesu confert. Vndénam verò Mariæ genealogia dicitur? Et sic quo pacto Iudæus, qui versatus est in libris sanctis, videtque scripturas, quas ipsi in Euangelis proferunt, reliquisve scriptis ad suorum confirmationem nihil prorsus facere ad ipsorum institutum, potest adduci, vt credat eorum verbis?

8 Exempli causa, id quod memoratur cap. 1. Matthæi, nempe, natum esse Iesum ex Virgine, vt impleretur id quod dictum est, Ecce virgo conci-

Esa. 7. pict, clarum est ac perspicuum cuilibet literarum perito,

perito, vel infantibus quidem academiarum, versum illum dici de Achaz sexcentis circiter annis ante partum Iesu, vt portéderetur Syrorum & Israelitarum regna delenda esse, imperium autem Iudæ constabiliendum in manibus regum familiæ Dauidicæ. At quo modo Iesu partus ex Virgine signum esset ipsi Achaz?

9 Similiter capite 2. apud Matthæũ traditur Herodem omnes masculos paruulos, qui innocentes nominantur, interfecisse, vt confirmaretur id quod scriptum est, Rachel plorans filios suos, cùm notũ sit & apertum ex sectionis sententia, id pertinere ad exilium Israelis prioris templi temporibus. Ille enim inquit, Et reuertentur filij tui ad terminos suos, & reuertentur de terra inimici. Audiens audiui Ephraim transmigrantem, &c. reduc me & reducar. Alios pariter versus citant in Euangelijs contrario & opposito sensu, atque dicti sunt in locis suis. Hæc verò omnia ex eorum sunt numero, quæ demouent hominem, ne credat legem Iesu diuinitus concessam, sed dicat positam ab hominibus non exercitatis in sacris codicibus, & scopo scripturarum, qui nec, vt par erat, adijciebant animũ ad eorum intelligentiã quæ scripta erant, perspicienda, quique ignorabãt rationes colendi Dei, quæ in Mosis lege exstituat, nec nouerant quo modo influxus diuinus obueniret Israelitis interposito sacrificiorum stante sanctuario, aut quòd implere præcepta, illáque præstare, esset cultus perfectus apud Deum vniuersis temporibus & locis. Hier. 31.

Porrò cùm quæstio est de præceptis ciuilibus, quæ vnius cum altero officia continent, & iudicialia appellantur, Lex Mosis quauis alia perfectior est. Imperat enim dilectionem mutuam dum inquit, Diliges proximũ tuum sicut te. prohibétque odium, Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo. Quin etiam de peregrino ait, Diligetis peregrinum. monens ne illum vexent, cum ait, Habitabit tecum in medio tui in loco, quem elegerit, & in vna vrbium tuarum, quæ ei placuerit. Ne contristes eum. Nec verò tãtum peregrino iustitiam seruandam, sed & inquilino qui nõ est Idolorum cultor, docet. Vnde iubet afferre illi vtilitatẽ cùm scribit, Peregrino q intra portas tuas est, da vt comedat Is enim est peregrinus incola, qui permissu legis morticinus vesci potest. Nec cõcedit fœnus nisi cum externo idololatra, quãdo inquit, Extraneo fœnerabetis. significans, in idolorum cultoris, & eius qui nõ vult adimplere septem præcepta filiis Noei tradita (perinde atq, peregrinus incola) corpus siue vitam potestatẽ esse atque ius, omniũ legum consensione. Itaque etiam Philosophi, cædem eius permittunt, iubéntque illum interficere, qui lege caret. Atque ita hortatur Lex cõtra idololatras, Non sines viuere vllam animã, & c. Quod si eius corpus permissum est libidini aliorum, quãtò magis facultates, cùm præsertim deceat interimere idololatram, neque vlla eius miseratione teneri?

Deut.23. *Deut.14.* *Deut.23.* *Gen.9.*

In reliquis etiam iurisdictionibus, cũctis legibus absolu-

absolutior est, quòd ipsa pœnas iustas irroget pro ratione peccati, vti scripsimus capite superiore, dùm de pœnis eorum, qui furtum pecuniariũ commiserunt, & iudiciis eius, qui proximum per errorem imprudentiámve necat, loqueremur. Imprudentis enim homicidæ sanguinem, quòd affinis sit ei qui destinatò interficit, iura nostra permittunt consanguineo, vt quisque plùs satis sibi caueat. Cuius rei ratio est, quia interfector si inuitus fecerit cædem, ne exilio quidem mulctari debet, vindex autem cædis ob eam causam mortis supplicium luit, vt si quis sparsim lapides demitteret in caput alterius, clamore monẽs iactus. Causam verò, ob quã scriptura reditum eius pendêre velit ex morte summi pontificis, reddiderunt Doctores nostri, dixerúntque ideo id assignatum vitæ pontificis, vt solicitè studeat quærere veniam à suæ ætatis hominibus, ne illis forsitan scandalo sit. Præterea solent sapientes in semetipsis tolerare pœnas & supplicia multitudini peccatorum debita. Sic enim inuenimus Deum iussisse Ezechielẽ Prophetam recumbere in latus suum, & sustinere supplicium, in se ferẽdo iniquitatem domus Israël. Itaque mirandum non est, si ob peccatum populi puniatur Sacerdos, sed maxima admiratione dignum est, quòd aliquis aiat iudicia quibus lex Mosaïca cõstat, cùm sit facta diuinitus, carere perfectione, contrà autem absoluta esse in lege Iesu,
50 cùm in ipsius lege nihil statuatur de hominũ inter se iudiciis, ac omnes Christiani in iudiciis

suis eorum præscripto regantur, quæ ipsorum sapientes sanxerunt, siue in iure Cæsareo siue pontificio. Quo autem modo in mentem alicui venire potest, iura, quę ascribuntur æstimationi sententię hominum sapientum, perficere defectum iudiciorum quæ posita sunt in lege Mosaica, cùm illa sit cœlestis & diuina? Adde fuisse impositã ab Apostolis, quibus non erat potestas concinnare iudicia legis Mosaicæ, posteaquã istud negotij neque pēdet ex fide, neque prorsus decet vllum hominem ordinare aliud, quàm quòd ipsi probe cognitum est, &, vt videtur, Apostoli iam memorati legis nostræ imperiti erant.

11 Narratur enim capite septimo libri actuum Apostolorum, Stephanum dicere. Mittens autem Ioseph accersiuit in Aegyptum Iacob patrem suũ cum animabus septuaginta quinque, & defunctus est Iacob & patres nostri, & sepulti sunt in Sichem in spelunca quam emit Abraham argento à filiis Emor filij Sichẽ. Atqui ista vniuersa aduersantur

Gen. 46. his quæ scripta sunt in lege, apertissimè in libro Genesis, sectione, Et accessit, vbi numerantur singulatim cunctæ animæ quę profectæ sunt cum Iacob in Aegyptum. Nec etiam cum Ioseph & eius filiis plures sunt septuaginta, vt iteenset scriptura his verbis, Cum septuaginta animis descenderunt patres tui in Aegyptum. Præterea spelunca, quam emit Abrahã, ista erat in Ebron, non in Sichẽ: ne-

Gen. 23. que comparauit eam à filiis Emor filij Sichem, sed ab Ephron Etthæo, quemadmodum diserte commemora-

memoratum est.

12 Item cap. 13. Paulus ait Israëlitas postulasse regem à Samuele, & ab eo accepisse filium Cis Beniaminium, qui regno potitus sit annis quadraginta, cùm Scriptura contrà dicat. Nempe quia nō vltra tres aut quatuor annos regnum tenuit. Nec verò ad vllum istorum respondere habent Iudęos Scripturas deprauasse. Hoc enim nec magnū momentum habet, nec ad fidem facit. Quo fit vt videatur eos non fuisse exercitatos in legis Prophetarúmque libris.

Quandiu regnarit Saul.

13 Præterea vt demus potuisse secundum illorū dicta Apostolos mutare quæ ad iudicia pertinent, quis potestatem tribuit Papæ mutandi præceptū de Sabbato, quod non est de numero iudicialiū? Certè in descensu mannæ signo certissimo Diem Sabbati per se sacrum esse apparet, diuina quidem vi, non ex hominum tantùm instituto, sicut fit in sanctionibus ciuilibus, vt propterea Scriptura dicat, Videte quòd dederit dominus vobis Sabbatum, &c. Significans, quòd quia Manna descendebat sex diebus Hebdomadis, non item Sabbato, & die quidem sexto in demensum bidui, demonstraretur Sabbatum esse sacrum, atque à Deo cœlitus ordinatum. Ac id omne abrogare in vllius hominis potestate positū esse non potest, maximè cùm sit vnum è decem præceptis, mandatúmque, quod studiosè Iesus eiusque discipuli impleuerunt. Post Iesum autem circiter quingentos annos mutans illud Papa, loco Sabbati diem primū seruare iussit.

De Sabbati commutatione.

Atqui

Atqui in Sabbato signum erat per se manifestum ex Manna, sanctitatem eius abundè docens, & omni prorsum carebat defectione, vel quia erat è denario præceptorum numero, in quibus ipsi nullam imperfectionem admittunt. Sed videtur propositum eorum esse radicitus Mosis legem de suis cogitationibus, absque vlla in contrarium ratione, conuellere. Nihil enim tale siue à Iesu siue ab eius discipulis præceptum iussúmque est. Perspicuum est igitur ratione imperfectionis, quam Christiani obtendunt aduersus vera iudicia, quæ lex Mosis complectitur, nó sufficere, ipsa vt aliquo pacto exauctoretur.

14 Cum verò in parte tertia quæ est de præceptis moralibus, (sic enim illa vocant) arguit legem ex eo imperfectionis, quòd tantùm hortetur ad actionis rectitudinem, non autem ad cordis munditiam, se contra veritatem armat. Inquit enim Lex, Et circumcidetis præputium cordis vestri, & diliges Dominum Deum tuum toto corde, & Diliges proximum tuum, tanquã te. Et Timebis à Deo tuo, Non insurges neque seruabis vindictam in populates tuos. Imperauit autem rectitudinem operis, propterea quòd puritas cordis nihil ducitur, si opus cum ipso non fuerit consentiens. Consilij etiam cordis, quod potissimũ spectandum est, mentionem fecit Dauid. Cor, inquit, mundum erea in me Deus, & huic loco alia multa paria sunt, ex quibus constat omni perfectionis genere legem nostram cumulatã absolutámque esse, secus quàm

An lex animum obliget.

Nazarenus

Nazarenus opinabatur. Ac id quidem à Dauide compendiosè significatur, dum eam commendat à quatuor causarum generibus. Lex Domini, inquit, perfecta, conuertens animam. Cum enim ait, *Lex*, tacitè respicit ad causam materialem eámque legem esse fatetur, quasi dicens singulas narrationes, veluti explicationē inebriationis Noei & Loti atque similes omnes, in ea esse conscriptas, vt præbeat materiā & legis & iuris & regiminis, illud, quod alibi non fuit dictatum vllo modo. Dum autem inquit, *Domini*, notat perfectionem eius ex parte efficientis, & significat, cùm auctor eius sit Deus Opt.max. nullum vitiorum, quę in leges humanas cadere solent, posse in ea existere. Ex eo verò quod sequitur, *Perfecta*, integritatem, quā formam tribuit, designat. Sic per *Conuertens siue reducens animam*, ad perfectionem, quæ ex fine sumitur, id est, ad animi fœlicitatem alludit. Et sanè reducere animam nihil est aliud, quàm quod Salomon scripsit, Spiritus reuertetur ad Deum, qui dedit illum. Ecclef.12.

15 Cæterum hic aberrauit Sapiens ille interpres Hieronymus, qui vertit vocē Hebræam תמימה immaculata eo consilio, ne legi Mosis perfectio tribueretur, eam mancam & à lege Iesu complectam absolutámque esse indicans. Sed hæc non est interpretatio vocabuli תמימה, quod omnino, velis nolis, significat perfectū. Nam de vitula russa vsurpatur, quæ quamuis videatur expers fuisse maculæ, necesse est tamen dicere תמימה aliud esse,

esse, quàm immaculatum. Vnde Doctores nostri, quorum fœlix recordatio, vitulam cuffam eo nomine tradunt appellatam, quòd rubore esset cōsummato. Quod profectò ostendit תמימה omnibus locis illud, quod summa perfectione, quanta speciei conuenit, integrum absolutúmque est, significare. Cum igitur completam absolutámque legem nostram pronūciauerit tam ex forma, per hoc verbum *perfecta*: quàm ex fine, dū inquit, *reducens animam*, tradideritque auctorē habere Deum, qui est agens perfectissimū, materiam verò esse legem, hoc est, vitæ gerendæ & iuris regulam, quid illam pluribus opus est à cunctis defectionibus seiunctā & omni perfectionum genere cumulatam demonstrare? Ita nostri instituti, quod hoc capite prætenderamus, hic esto finis.





AD IVDAEI ALBONIS SVPERIORA CAPITA RESPONSIO.



Hristum quidem legem, quam iustis de caussis Euangelicam appellamus, per se non dictasse clarius est, quàm vt negari possit. Apostolos autem, quæ ab eo tam publicè quàm priuatim exceperant, fideliter & ore & tabulis expressisse, quis nisi impudens in cõtrouersiam vocauerit? Extant in testimonium, eorum libri, qui quia à rudibus & indoctis ita eruditè & sapienter literis consignati sunt, vt totum orbem in sui peruestigationem & contemplationem rapuerint, non nisi afflatu Dei conscribi potuisse certum est, vt te tuique similes planè cæcatos oporteat, qui tam fulgentem doctrinæ lucem ipso claro meridie multo illustriorem non cernitis. — *De Euangelio.*

Huiusmodi scripta tibi non videntur leges, quia aliam dicendi formam, quàm duæ apud vos, aut apud Græcos decem tabulæ præferunt. Nimirum omnia in eis cuperes plena minis & fulminibus, vbi homines promissionum blanditiis nollent incitari. Atqui alia longè est ratio legislatoris nostri & cæterorum, de quibus illud poëticum iure vsurpari potest, Oderint dũ metuent. Nobis enim

non

non dedit spiritum seruituris & timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis atq; adoptionis filiorũ. *Rom. 8. c.* Itaque eius Lex, quæ apud nos Euãgelij censetur nomine, non vetere illa inducendi ratione, sed nouo spiritus mansuetudinis charactère, qui homines ad parendum potius verbis alliceret, quã verberibus pertraheret, exarari debuit. Quis autẽ modus aptior cõmodiórve esse potuit, quàm quẽ sancti nostri scriptores in suis libris sequuti sunt?

Quare Euãgelistæ non nudas leges dictauerint.

Vitã résque gestas Domini & Seruatoris nostri descripsère, quòd orbi interesset rescíscere quis fuisset, qualis vixisset, quid docuisset, quę egisset is, quẽ Pater cœlestis mortalibus in vitæ deinceps instituendæ exemplar dederat. Vniuersa enim eius actio nostra est eruditio, cũcta eius doctrina nostra erat legislatio. Nec paruũ refert habere legislatorẽ qui vita & exemplo magis, quàm verbo suadeat. Neq; verò opus fuit leges, quibus Christiani obtẽperaturi eramus, nudè tradere, cùm illæ maiorem vim atque pondus habeant, quando exemplis & parabolis illustrantur. Hoc quidem in vitium vertis, & imperitè cum ænigmatica locutione misces, vt nihil referre, oratióne sit parabolica, an ænigmatica, te existimare appareat, sed in eo cum sensu communi, quem soles in nobis requirere, apertè pugnas. Norunt omnes in quibus vel mica eruditionis viget, ænigma (חידה tui appellant) orationem esse obscurè sic enuntiatam, vt qui eam audiunt, aut vix aut nullo modo intelligant. Parabolam verò esse sermonem figuratum quidẽ & tropicum,

Quid ænigma à parabola differt.

picum, sed qui è propinquo acceptus instituitur, vt
facilius à rudibus ingeniis id, de quo agitur, perci-
piatur, eóque sumpta è triuio comparatione & ex-
emplo, manu, veluti ducatur. Lege discrimẽ, quod
tui ponunt inter חידות & משלים ac intelliges,
quàm intempestiuè Ezechielem & alios ad corro- *A Ben-Ezra*
dendas Euangeliorum parabolas attuleris. Quod *in Psal.78.*
illi in oratione obscura, & plena ænigmatis repre- *Kimhi in*
hendunt, tu ad parabolicas locutiones, quæ verbis *radic.*
popularibus, siue illa sint propria, siue modicè trãs-
lata, & quibus vulgus vti solet, accomodas. For-
tasse nescis similitudines, paradigmata, hypotypo-
ses, mimeses & id genus cætera, ad docẽdum tantũ
habere momẽti, vt Nathan vatũ vestrorum nõ mi-
nimus inde sibi præsidiũ ad persuadendũ Dauidi,
quod cupiebat, miro artificio quæsiuerit. Respõde 2.Reg.12.
mihi (inquit) iudiciũ. Duo erant viri in ciuitate vna
vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oues &
boues plurimos, pauper autem, nihil omnino præ-
terouem. Nosti cætera. Eo artificio Menenius A-
grippa apud Romanos apologo mẽbrorum cor-
poris humani à se inuicem dissentientium populũ
cum patribus in cõcordiam reduxit. Quod autem
interdũ Christus obscuriores parabolas adhibuit,
id, non sine concionũ Propheti earum imitatione,
vt ipse vltrò fateris, fecit de industria, partim quia *Cur Chri-*
clarioris explicationis indigni erant hi, apud quos *stus inter-*
verba faciebat, & tanquam porci, ad quorum pe- *dum obscu-*
des margaritæ non sunt proiiciendæ, partim quòd *rius loque-*
altiora & occultiora diceret, quàm vt tum capi ab *tur.*

audito-

auditoribus possent, eaperentur autē, vbi Spiritus S. Christianæ ecclesiæ Doctor eximius è supernis missus post Domini ascensionem mentes ipsorum aperuisset.

De Trinitate aduersum Iudæos & Trinitarios.

2 Nunc ex ordine, quo nostra refutanda suscepisti, mysterium Diuinitatis ingrediamur, quod quia non intelligis (neque enim animalis homo ea quæ ad spiritum attinent potes percipere) pugnare putas cum primis & communibus sentētiis. In eo autem quàm fallaris maximè è Scripturis Hebraïcis, quarum Deum auctorē esse inter nos conuenit, tam apertè demonstrabo, vt nisi sis prorsus expers intelligentiæ, non possis postea vnum cogitare, quin trium fulgore mox circunfundaris: nec Tria discernere, quin subitò ad Vnum reflectaris. Sed vt illa manifestius perspici queant, primùm τὸ ὅτι, deinde *διότι* in proposita quæstione construamus.

Scripturæ veteres de Trinitate personarū. Gen. 1.

Plures igitur esse diuinas hypostases, id est, res per se subsistentes, quarum vnaquæque Deus sit, sequentes loci indicant. In principio Dÿ creauit cœlum & terram. Et *collocutus est*, siue *alteri dixit* Deus, fiat lux, & facta est lux. atque ita per totū hexamerum. Vox enim Hebræa אמר haberi ad alterum sermonem adeò declarat, vt alter, ad quem referatur locutio hęc, etsi non exprimatur, veniat tamen intelligēdus, ne secum collocutus esse existimetur is, de quo vocabulū אמר vsurpatum est.

In Rad. דבר

Hæc pluribus verbis tradit Rabbinorum vestrorum præstantissimus Dauid Kimhi in suo lexico, vbi, quid intersit inter אמר & דבר eleganter

eleganter disputat. Quod plane cernitur in hominis conditione, *faciamus* hominem ad imaginem *nostram*. Hæc enim sunt verba Patris ad Filium & Spiritum S. eius tanquam consiliarios, vel certè Trium personarum seipsas ad hoc insigne opus cohortantium. Ecce Adam factus est tanquam vnus ex *nobis*. Visus est Dominus Abrahæ, atque inde consequenter exponens Moses, quo modo ei visus sit, contexit narrationem de tribus viris, quos Abraham per pluralem numerum inuitat, deinde singulariter, sicut vnum, alloquitur, *Domini*, inquit, si inueni gratiam in oculis *tuis*, ne pertranseas seruum tuum. Et ad Abimelech, *Eduxerunt me Dii* de domo Patris mei. Sic in historia Iacob. Ibi *apparuerunt* ei *Dij*, cum fugeret fratrem suum. Et in lege, Quæ est gens, quæ habeat *Deos* tam *propinquos* sibi, vbi paulò pòst sequitur confessio totius populi seu ecclesiæ Domini, Audiuimus, aiunt, vocem *Deorum viuentium*, qui de medio ignis *loquitur*. Apud Iosuā, Non poteritis seruire Domino, quoniā *Dii sancti est*. In Regibus, Israel gens in terra, propter quam *iuerant Dij*, *vt redimerent* sibi. Et, *Dij liberabunt* de manu ista? Et, peruertistis verba *Deorum viuentium* Domini exercituum Dei nostri. Et, Quid est homo, vt sequi possit regem (i. Deum) quiniam *fecerunt eum*, Et, Memento *creatorum tuorum* in diebus iuuentutis tuæ. Et, Noui scientiam *sanctorum*. Sic Iob & Esaias. Non dixit, vbi est Deus *factores mei*. Creans cœlos & *extendentes* eos Dominus. Quia *dominabuntur* tui

Gen. 3.
Gen. 18.
Genes. 20.
Ita in veritate Hebræa, è qua magna ex parte sequētia trāsferuntur.
Genes. 35.
Deuter. 4.
Deuter. 5.
Ios. vlt.
2 Reg. 7.
2. Para. 32.
Hier. 23.
Eccles. 1.
Eccles. 12.
Prouer. 30.
Iob 35.
Esa. 42,
& 54.

qui fecerunt te, Dominus exercituum nomen eius.
Psa.11.54. Apud Dauidem, Rectum videbunt vultus *eorum*.
58. Et, Ecce enim Dominus adiuuat me, & Dominus est *susceptores* (siue *in susceptoribus*) animæ meæ. Et sub finem Psalmi 58, *Vtique sunt* Dij *iudicantes* in terra, & Psal.47, Dii *fortes* terræ vehementer *eleuati sunt*. & 148, lætetur Israel in *factoribus suis*. Et
Deut.10. alibi, confitemini *Dominis* Dominorum, iuxta id, quod monuerat Moses, Dominus Deus vester ipse est Dij Deorum & *Domini* Dominantium. Infinita sunt talia propemodum in Psalmis & Prophetic*is* oraculis, in quibus locutio vestra Hebraica ita substantiæ & actionis diuinam vnitatẽ credere iubet, vt interim hypostaseon pluralitatẽ apertè ostẽdat. Quod mouit Rab. vestros veteres, vt scriberent Deũ esse quidẽ אחד ולא יחיד vnũ, sed non so-
Iaphet in Psal.11. litariũ. Hoc dissimulare nõ potuit vestrorũ doctorum non ignobile par, R. Iaphet & R. Salomon, cuius posterioris hæc est oratio ad illud, quod è
Gen.20. Genesi citauimus, Dij *eduxerunt me*. Nota, inquit, pluralem hanc syntaxim. Ne autem mireris. Nam compluribus in locis dictiones Deitatem, Diuinitatem, & dominationem significantes, Scriptura cum de Deo loquitur, pluraliter enuntiat, vt, *iuerunt* Dii, Dii *viuentes*, Dii *sancti*, Domini *Dominorum*. Immò verò vbique vox Elohim pluralis est numeri. Nempe, vt quod ille astutè præterit, adiiciam, quia tres sunt in cœlo, quorum singulus
Agg.2. Deus verè est. Hi sunt, quos versu vno Aggeus recenset ex nomine, Ego sum vobiscum, Dicit *Do-*
Deut.18. *minus* exercituum, *cum verbo*, quod pepigi vobis-

ritus

cum, cùm egrederemini de terra Aegypti, & *spi-*
ritus meus erit in medio vestrum. Nolite timere,
Quos Esaias explicatè distinguit, *Dominus* misit *Esa. 61.*
me & *spiritus* eius, quorum mentionem Scripturę
sparsis in locis singulatim ingerentes, Diuinã sub-
stantiam & actionem nunc huic nunc illi citra dis-
crimen tribuunt. Transibit, (clamat Michæas) rex
eorum coram eis, & *Deus* in capite ipsorum. E- *Mich. 2.*
gressus eius ab initio à diebus *æternitatis*. In diebus *Testimonia*
illis germinare faciam Dauid Germen iustitiæ, *de diuini-*
& hoc nomen, quo vocabunt eum, *Deus Iusti-* *tate Christi.*
tiæ nostræ. Saluabo eos in *Domino Deo suo*. Osten- *Mich. 6.*
de faciem tuam super sanctuarium tuum, quod *Hier 33.*
est desertum, *propter Dominum* siue *Deum*. Sedes tua *Os. 1. dan. 9*
Deus in sæculum sæculi. Lætare filia sion, quia ego *Psal.*
venio & habitabo in medio tui, & affluent gentes *Zach. 2.*
multæ ad *Dominum*. Consolamini, Ecce *Deus* no- *Esa. 35.*
ster iudicium retribuet, ipse veniet & saluabit nos,
tunc aperientur oculi cæcorum, &c. Et statim ve- *Mal. 4.*
niet ad templum suum *Dominus*, quem vos quæri-
tis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Fra- *Zach. 13.*
mea suscitare super Pastorem meum & super virũ
socium meum, dicit Dominus exercituum. *Deus for-*
tis pater sæculi natus est nobis. *Deus absconditus*, *Esa. 9.*
quem gentes adorabunt. Quid opus pluribus? *45.*
Nonne Mesiam appellandum *Nobiscum Deum* a- *7.*
pertè vaticinatur Esaïas. Vocabitur, inquit, *Im-*
manuel. O nos imprudentes, qui initio non dissi-
mulauimus Christi diuinitatẽ. Certè odio, quo in
nos Verpi impurissimi ardetis, statim Scripturarũ
examina, quę eã confirmarẽt, producta per vos ha-
c ij beremus.

beremus. Nũc, quia vestris literis, atque adeò Cab-
balicis arcanis conuenienter sentimus, audire co-
gimur nefandas in Dominum & Christum eius
cõtumelias. Redite ad animũ rebelles Filij, neque
Domino Deo vestro diutius resistite. Quem im-
pietatis vltorem hactenus assiduis exiliis pressi, af-
flicti, angustati sensistis, eum fidei vestræ remune-
Testimonia ratorem tandem accipite. Sed ad rem. Spiritum
de S spiritu. diuinam esse hypostasim, nec de rerum procrea-
tarum numero multis pariter oraculis compro-
bari potest. Iam enim inde ab initio fertur super
Genes. 1. aquas, eisque incubat, quasi designaturus atque re
dacturus in speciem, quæ adhuc erant incomposi-
Iob 33. ta. Iob clamat, *Spiritus Dei* fecit me & *spiraculum*
32. *omnipotentis* aptauit me, Et, *spiritus omnipotentis*
Esa. 59. dat intelligentiam. Esaïas, *spiritus meus*, qui in te
63. est: Ipsi ad iracundiam prouocauerunt eum &
exacerbarunt *spiritum sanctum* eius. & pòst, Vbi est,
qui posuit in medio eius *spiritum sanctum* suum. Ef-
44. fundam *spiritum meum* super semen tuum, Donec
32. effundatur super nos *spiritus* de excelso. Hunc non
Exod. 35. ignorat Moses, qui scribit, Impleuit eum *spiritus*
Dei. Non Dauid, qui præsentiæ eius maiestatem
& efficaciam quoquouersum expãdens, Quo ibo,
inquit, à *spiritu tuo*? *Spiritus* enim Domini impleuit
Psal. 139. orbem terrarum. Atqui ex primis notionibus, qui-
Georg. 4. bus vrgere nos videri vis, est, Deum *ire per omnes,*

Terrasque, tractusque maris, cælúmque profundum.

Non Nehemias, qui illi scientiam hominum ac-
Nehem. 9. ceptam refert, *Spiritum* tuum bonum dedisti, qui
docerer

doceret eos. Vt autem hunc locum breuiter concludam, cur, cedo, apud Dauidem, atque adeo vniuersos literarum sanctarum scriptores, *spiritus quidam est principalis*? Certè nulla eius ratio excogitari potest simplicior, & qua magis hominum animis satisfiat, quàm aliquem esse singularem spiritum, quem Deus singulari more sibi ab æterno profuderit, & seiunctum è cæterorum numero atque gradu, intimum semper habeat: sed & à se manantem rebus creatis, quas præstanti munere affectas cupit, mittat atque det. Hanc sententiã à Nostris non esse temere confictam, sed à natura acceptam, deinde cœlesti reuelatione confirmatam, illustratámque abundè testantur tum Philosophorum, tum Vestrorum scripta. Illi quidem spiritum Dei quẽdam esse dixerunt, sine quo nihil moueretur & cõsisteret, qui intus res procreatas aleret atque contineret, totámque per artus infusus agitaret molem, qui & mens & anima mundi esset. Hi verò spiritum Sanctum, quem Rúah hakkódes tam crebrò nominant, ecclesiæ moderatorem & præfectum confitentur, ac vocant Dei cognomento apud vos vulgatissimo Secbiná, quòd ipse cum ea, præsertímque cum Prophetis, vt Elias tradit, maneat. Huius fidei adumbratio reperitur in actis nostrorum Apostolorum, in quibus narrat Lucas Sadducæos à Pharisæis habitos pro hæreticis, quòd non tantùm Angelos, verum etiam Spiritum inficiarentur.

Cùm ergò scripturæ vestræ nos cogant distinctè confiteri

Psal.51.

De anima mundi Philosophorum sententia.

Aeneid.6.

Quid Hebræi de S. spiritu.

In Tisbi rad. שכן

Act.23.

Nota.

confiteri Patrem, Verbum & Spiritum Dei, eximant etiam hos tres è rerum creatarum ordine, iubeant prætereà, vnum solum Dominum Deum credere, de quo dictum sit, *videte, quòd ego sim solus & non sit alius Deus præter me*, Et, *Audi Israël Dominus Deus tuus Deus vnus est*, in his credendis, quòd pugnantia videantur, fide hæsitabimus? Si tres non subsisterent, qui verè & substantialiter essent Elohim. i. Dij, putas legeremus, *Eduxerunt me Dij*. Si vno Deo plures censendi essent, cedóne scriberetur, *Præter me non est Deus*? At manifesta, inquis, contradictio est, tria re distincta vnum esse numero. Falleris. Nam non hîc de eodem affirmatio & negatio est. Affirmatur personarum, negatur substantiæ imparitas. Affirmatur identitas naturæ, negatur hypostaseon. Mysterij rationẽ atque consonantiam ausculta paucis. Longe aliud certè est dicere tres personas esse tres Deos, quod scriptura & fides nostra negat, aliud tres personas esse Deos, quod à Mose & cæteris sacris scriptoribus literis cõsignatum recipimus. Quamuis enim profiteamur *tres esse personas*, id est, res indiuiduas per se cohærentes, & de iisdem, *quòd sint Dij*, non tamen propterea *Tres esse Deos* coniunctim inferre licet. A diuisis enim ad coniuncta nõ semper valet argumentũ, vt Aristoteles in libro de interpretatione sequenti exemplo declarat. *Ille est citharœdus, ille est bonus, igitur citharœdus bonus*. Nam vt duo prima pronunciata seorsum concedantur, tamen in conclusione captio ex eo existit, quia

Deut. 32.
Deut. 6.
Gen. 20.
Nota.
Quid sit persona.

quia *Bonitas* in assumptione de homine, quà homo
est, in consecutione verò de eodẽ, non vt homo, sed
vt citharœdus est enuntiatur. Aristotelico adiicio
ex fonte & riuo ab illo perenniter manante alterũ
nostro instituto lõge conuenientius. *Fons & riuus*
sunt aquæ. Fons & Riuus sunt duo. Fõs igitur & Riuus
sunt aquæ duæ. Quàm falsa sit complexio sensu ipso
deprehendis, tã ob vtriusq; perennẽ inseparabilita-
tem, quàm quia absolutè & simpliciter vtrobique
eadem est substantia. Vitium autem ratiocinatio-
nis in eo latet, quòd numerus *Duorum* in media
propositione notet subsistentias, in conclusione ve
rò ad substantiam siue essentiam violẽtè trahatur.
Sic in re proposita, cùm dico de personis, *Dii sunt,* *ἀντιπτώσε-*
verum quidem aio, quoniam sunt habentes Dei- *ως notãda.*
tatem, similiter & de iisdẽ verè affirmo, *Tres sunt,*
quoniam certe sunt tres Personæ, cæterùm cùm in-
fero, *Ergo tres sunt Dij*, cõsequentia nulla est. Quia
dùm semel & diuisim conceditur, *sunt tres*, hic nu-
merus ad personas pertinet, dum autem coniun-
ctim colligitur, *Sunt tres Dij*, iam idem numerus ad
Deitatem refertur, atque ita multiplicatur *Deitas*,
quod nefas est. Vides perspicuè, vt ad numerũ per-
sonarum non sequatur essentiæ multiplicatio. Po- *Quo sensu*
test quidem dici de personis, *Tres Dii*, verùm τὸ *tres Dii.*
Dij appositiuè sumatur necesse est, hoc sensu, *Tres*
qui sunt Dij, vel, *quorum quisque Deus est*, nisi ma- *Nominis,*
lis *tres Deos*, id est, *Tres diuinas personas* dicere. *Deus, acce-*
Nam vocabulum, *Deus*, aliquandò accipitur ὑπο- *ptiones duæ*
στατικῶς, ac vltro citróque commeat cum Diuina *in scriptura.*

 persona

persona siue hypostasi. Quoniam autẽ sæpius dicit θεάρ ὀυσίαρ κ̀ φύσιρ, atque cum ea reciprocatur (Siquidem apud Mosem à suo esse cognosci

Exod. 3.

voluit, apud quem *Essentia* ponitur tanquam Dei definitio) nunquam est simpliciter concedendum *Tres esse Deos.* Vna enim est atque eadem numero essentia in tribus personis, quemadmodum aliquãtò pòst declarabimus, vt proinde Pater, Filius & Spiritus S. verè ac propriè sint vnus Deus.

Hic exclamabis, sat scio, sempiterna caligine induci communes notiones & spectrum fingi, quod neque re neque intelligentia queat existere. Atqui ipsi sumus, qui primas sententias pugnaciter defendimus & prorsum abhorremus à prodigiosis imaginationibus, canentes in nostris scholis, Deum

Quanta sit Dei potentia.

omnia quidem posse, sed tamen videndum, ne cõtradictionem implicẽt. Exempli causa, Deus, quia omnis rectitudinis norma reguláque existit, peccare non potest. Deus, quoniam natura sua æternus est, perennitatis fons atque principium, necessarióque est ac viuit, mori non potest. Idem quod præteritũ est, ne sit præteritũ nequit efficere. Hæc enim omnia apertam includunt repugnantiam, & tantum abest vt Dei omnipotentiam statuant, vt eam penitus obliterent, immò verò Deum ipsum deturbent de summi boni natura. Cæterùm tale quid poni in augustissimo Trinitatis & Vnitatis mysterio, id certè est perfidiæ plenissimum. Nam vt liceat cum magnis parua componere, ex hisne

Nota.

est, quæ fieri nõ possunt, tres res vnam esse rem, ac vnam

vnam rem tres, cùm cogitari possint sine contradictionis obtentu tres homines arctissima necessitudine cōiuncti, eadem ætate, forma, mole, magnitudine, colore, temperamento, ingenio, sapientia, moribus, voluntate, potestate, iisdem omnino animi & corporis dotibus atque qualitatibus, de quorum vno quod affirmabitur, de alteris affirmetur, quorum vni quod denegabitur, de aliis negetur similiter? Num de talibus, cedo, rationi conuenienter diceretur, Hi tres vnum sunt, aut illud vnum, quod in tribus concipitur, est tres. Ecquantò verò potius id fatendum de Patre, Filio & S. spiritu, quorum vnitas istam, vt infrà explicaturi sumus, propter inseparabilitatem & immanentiam infinitis modis supergreditur? Multi Philosophi, in quibus Plato, vt refert Aristoteles, Ideam & rem vniuersam concedebant reipsa esse plures res singulares & earum quamlibet. Nonnulli etiam existimauerunt eādem numero humanitatem, si à tribus simul assumeretur, reapse plures futuram homines, & tu infinitissimam & simplicissimam Dei essentiam intra cācellos cohibebis, ne tribus citra vllam differentiam communis & par esse valeat?

περιχώρησις. Metaph. 7. Scotus.

Cur igitur, inquies, non, vt tres illos, quos nulla in re differentes posuisti, tres homines dicimus, ita tres hos Patrem, Filium & Spiritum S. quorum absoluta est & completa identitas, tres Deos esse inficiamini & hoc Scripturam negare prætenditis? Huius rei multæ quidem causæ, verùm illarū præcipuas, quæ in humanam mentem venire possint,

duntaxat

duntaxat attingemus, cæteras nosse olim dabitur, cùm aduersa facie coràm Deum ipsum intuebimur, ac eius gloriam captum nostrum altissimè superantem præsentes contemplabimur. Primum igitur tres Deos scriptura dicere prohibet, ne huiusmodi sermo diuersitatis substantiarum, aut naturarum, præbeat suspitionem, quod hîc suspicari est periculosissimum, & maximè fugiendum, in alijs non item, tametsi naturæ cogitetur differentia, ob materię & formę participationem. Hinc siquidem indiuidua seu singula partem duntaxat essentiæ obtinẽt, neque totam materiam, neq; communem speciem tam propter cõpositionem, quàm finitionem complectuntur. Quare in cæteris non refutatur talis loquendi modus, etiam si non naturæ, sed solarũ hypostaseon significet multitudinẽ.

Attendant Trinitarii, qui non habent pro absurdo tres esse Deos.

Secundò accedit Tres, putà Abrahã, Isaac & Iacob, non ita esse communione naturæ vnum hominem, quin essentia numerabili inter se multùm differãt, cuius causa tres homines & sint & dicãtur. At in S. Diuinis hypostasibus vna est & eadem numero essentia, vt idcirco tres Pater, Filius & S. Spiritus sint vna res numero. Pater enim suam Deitatem atque essentiam communicauit Filio, nec aliam, sed ipsam eandẽ naturæ quadam profusione dedit. Pater quoque & Filius totam simplicem & indiuisam suam essentiam communicarũt spiritui Sancto, atque si calor se communicaret eundem numero & sine diuisione ligno, aut idem numero candor se suffunderet duabus extremitatibus, aut lumen

Secũda causa, cur tres sint vnus Deus, essentiæ vnitas numeralis.

Nota.

lumen lucernæ vnius se, sine distinctione materiæ,
tribueret alteri. Nō enim forma huius ab illius for
ma differt, nisi quia recipitur in alia & alia materię
parte, cuius expers est diuinitas. Hanc numeralem
essentiā apertè insinuauit Deus, cum patribus di- *Deut. 6.*
ceret, Audi Israel Dominus *Dii tui Iehuè vnus est,* יהוה
hoc est, ens vnū, siue essentia vna. Non enim igno-
ras quæ sit nominis tetragrāmati vis & notio, pro-
pter quam credimus tres personas re ipsa distin-
ctas vnum esse Deum numero. Hæc est illa cōsub-
stantialitas, quam aduersum hæreticos complures *Consubstā-*
instituto Sathana & tyrannis eius administris obti- *tilitas.*
nuimus, ac per totum mūdum contrà annitētibus
Iudaizantiū studiis vulgauimus. Neque propterea
Deum quendam aggregatum aut tricipitem, vt
nonnulli vomunt, introducimus. Nam non vnitam *Nota.*
cōglutinatámve trium personarum essentiam, sed
vnam confitemur. Nempè, vt scitè loquuntur Græ- *Quid con-*
ci, credimus Filium & S. Spiritum esse Patri ὁμου- *substātiale.*
σίους, non autem συνουσίους, quod putabat Sa- *Tertia cau*
bellius. ὁμούσιος importat distinctionem perso *sa περιχώ*
narum, significátque in hypostasi esse Patrem, in *ρησις, non*
hypostasi esse Filium, similiter & in hypostasi esse *enim perso-*
spiritū S. præterea etiā non alienos inter se ab vna *næ sunt tan*
Deitate, sed eiusdē diuinitatis existere. Contrà συ- *tum cōsub-*
νούσιος, id est, simul habēs essentiā, miscet personas *stantiales*
inter se, ac Trinitatē in vnitatē prodigiosè cōtrahit. *sed etiā in-*
Tertiò Diuinarū in se mutuo hypostaseωn im- *separabiles*
meatio (vt sic vertam περιχώρησιν) immanen- *& imma-*
tia, omninóque inseparabilitas in causa est, pro- *nentes.*
pter

pter quã tres Deos nõ admittimus. Filius enim & Spiritus non sunt extra Patris sinum vel essentiã, non separantur, neque distant à se inuicẽ, sed mutuo sine confusione in se sunt. Quamobrem nos quidem tres homines dicimur, vt tres personæ locis distantes, quæ nec in se insunt, nec prorsus sunt inseparabiles, Sancta verò Trinitas vnus Deus, nõ tres Dij, ob personarum inconfusam adinuicem capacitatem, quæ nec virtute differunt, nec tempore extenduntur, nec spatiis locisve diuiduntur, quasi aliquid sit inter Patrem, Filium & S. Spiritum, aut non sit inter ipsos sempiterna communitas. Hæc enim locutio, *Tres Dii*, non tantùm suspitionem facit differentis naturæ, sed etiam hypostases separat atque diuidit. Atqui quemadmodum fons & riuus ab eo iugiter scaturiens, vt superius meminimus, duo quidem verè & numero existunt, verũ tamen vna aqua, non duæ aquæ, quòd nec à se vnquã diuellantur, nec substantiam vllo modo habeant differentẽ, sic diuinę Personæ vnus Deus nõ tres, quòd, præter mirabilem essentię vnitatem, neque secessibiles, neque diuisibiles à seipsis sint, ita vt valeant ab alterutris separari.

Nota.

Quarta causa, Relatio mutua.

Ad id quartò pertinet ęterna eorũ ad se inuicẽ relatio, qua Pater semper fuit Pater, Filius sẽper Filius, Spirit⁹ semper Spirit⁹. Cùm ergò ab omni æternitate Patri idẽ sit hoc aliquid esse & Patrẽ esse, Filio hoc esse, & esse Filium, Spiritui pariter esse hoc & Spiritum (Nam relationes, pro modulo nostro intelligendi, hypostases cõstituunt, ac alteram ab

ab altera differre faciunt) fieri non poteſt, quin ille ſemper Filium, ad quē referatur, habeat, aut hic patrem, cum quo perenniter cōparetur, aut Spiritus ſpirantes Patrem & Filium, quorum perpetuò & ſit & dicatur Spiritus. Subſtantialis illa, indiuiduáque ex omni æuo relatio quidni hos ſempiternè ac inſeparabiliter vnū faciat? Vnus enim abſque alio nulla vi poteſt conſiſtere, cum hæc ſit relatorum natura, vt nequeat alterum eſſe abſque altero.

Quintò, quia ſinguli quidē ſingularē habent hypoſtaſim & ſubſiſtentiā, vnuſquiſq; diſtributim eſt perfectus Deus, non tamen tres Dij cōnumerantur, ſed vnus Deus, quòd Verbum & Spiritus vires ſint Patris, qui non manat ex aliquo, ſed exiſtit fons ac principium totius diuinitatis. Vnde non concedimus tria principia, quia omnia ad Patrem vt principium ſine principio referimus. Non enim ſunt Duo tréſve Patres aut innati. Sic enim tres Deos conſtitueremus neceſſariò, quòd Vnitas Dei & vna perſona non producta ex eadem cauſa profectò pendeant. Ac ſic certè in noſtris literis propter authoritatem principij, ſiue excellentiam cauſæ, vt maiorum noſtrorū plerique locuti ſunt, Patri, qui eſt, vti diximus, fons atque origo totius Deitatis, vniuerſa eminentia ita tribuitur, vt ille vnus ſolúſque Deus interdum prædicetur. Nam, dum etiam Filius & S. ſpiritus cuncta accepta referunt Patri, totam diuinitatis authoritatem rurſus illi remittunt. Vnde vnus Deus oſtenditur vel hoc pacto, verus & æternus Pater, quoniam ab eo

Quinta, authoritas principii.

Nota ex Tert.

ſolo

solo hæc vis diuinitatis emissa, etiã in Filium & S. spiritum tradita & directa, rursum per substantiæ communionem ad Patrem reuoluitur. Deus quidem ostenduntur Filius & Spiritus, quibus diuinitas naturaliter tradita & porrecta conspicitur, nihilo minus tamen vnus Deus Pater probatur, dum gradatim reciproco meatu illa maiestas, atque diuinitas ad Patrem, qui dederat eam, rursum ab illo ipso Filio & Spiritu missa reuertitur & retorquetur, vt meritò Deus Pater omnium Deus sit, & principium Filij, quem Dominum genuit, atq; S. spiritus, quẽ Paracletũ per Filium produxit.

Sexta ratio. Sextò expressa similitudo &, vt ita loquar, paritas in causa est, ne plures Deos nominemus. Qualis enim Pater, talis per omnia Filius, *talis* etiam prorsum S. Spiritus. Illud τὸ ἀπαράλλακτον distinctionem Deïtatis nullo modo patitur. Alioqui par est, vt audeat aliquis pronũciare solẽ, eiusque splendorẽ plura esse luminaria, aut Regẽ & eius expressam imaginẽ binos esse reges, aut, vt etiam fontẽ ipsiúsque riuum duas aquas nominet.

Septima, Monarchia, καὶ συνεργία. Septimò, Monarchia & vnitas actionis. Neque enim imperium eorum siue potestas finditur, neque operatio diuiditur. Pater non aliquid agit solus per se, quod Filius non vnà cum eo suscipiat, aut Filius rursum quippiam peculiariter exequitur sine Spiritu, sed omnis actio ad nos à Deo redundans, à Patre quidem proficiscitur, verùm per Filium progrediens in S. Spiritu perficitur. Hi enim simul nobis vnam vitam suppeditant, eandem sapientiam,

pientiam, virtutem, energiam cõmuniter tribuũt, atque in omnibus procreatis rebus coniunctim, nõ separatim per sese inuicẽ exercent vniuersa, neque Pater aliis imperat, aliis Filius aliis Spirit⁹, sed eorũ vnus est principatus, vnũ regnũ, vna dominatio, dominationis vna dispensatio ac administratio.

Octaua.

Postremò omnium rerum ad Diuinitatis naturã pertinentium plenissima effusissimáque cõmunitas. Nam, vt ipsorum vna omnino est Deitas, ita & fœlicitas, potentia gloria, sapientia, magnitudo, æternitas, quæcunque denique recenseri ac cogitari possunt ad summi boni naturam conferentia.

Restat, vt causam aperiamus, cur nonnulli similitudinem, quam deinde mordes, ex Philosophia ad istud mysterium transtulerint Dura est admodum, fateor, & quæ etiam ad efficiendum contrarium tam rectè posit institui. Verùm in omnem partẽ versanda non est, cùm eò tantùm pertineat, vt, quemadmodum Philosophi summũ Deum dixerunt esse primùm *intelligentiam*, deindè *id quod intelligit*, ad extremum *id quod à se intelligitur*, ita Supremus intellectus sit Pater, quatenus innatus est, sit Filius, quâ natus est in Filio, sit Spiritus, quâ in hypostasi spiritus à duobus resilit. Vtrobique enim par est emanationũ ordo atque modus. Nec vltrà commeat exẽplum, quasi prætereà Personæ non inter se reipsa ac verè distinguantur. In eo enim deficit. Ac quò melius intelligas, in afferendis de hoc arcano similib', Nostrorũ institutũ est hinc illinc exẽpla carpere, nõ vt his S. Trinitatẽ velint omnino

Quorsum similitudines multæ in Mysterio Trinitatis.

omnino comparare, sed potius, vt in qualicunque similitudine magnam simul norét dissimilitudinē. Adhibent autem multiplicia, vt ex illa varietate, quid ex vnoquóque, pro modulo, ad illam transferri debeat, aliqua proportione accipiant. Opus enim est multis, quo sigillatim tāta res, vel ex parte, queat intelligi, cùm id vnica similitudine nullo pacto fieri possit. Verbi causa, ex sole & radio monstramus coęternitatem Patris & Filij, inseparabilem quoque immanentiam, parem verò & cōmunem substantiam exemplo humanæ generationis, ac posteà ex vtroque, quod hic simile est, colligimus, vt Verbum Patri ὁμούσιον, coæternum, inseparabiliterque hærens quoquo modo deprehendatur. Cæterùm quoniam mihi admodū arridet scripturæ similitudo, quæ facit Verbum Dei de-
Sap. 7. radiationem paternæ gloriæ atque candorem æternæ lucis, non prius te dimittam, quàm probè enucleatam habeas. Corpori micanti nihilo minus lucet, cum radium genuerit, quinimò radio sine ipsius detrimento ac diminutione lus tribuitur. Deinde corpus illud splendidum continuato quodam ordine radium generat, quòd eius natura non tantum in eo quod fit, verum etiā in eo quod factum est, sit posita. Præterea eo ipso momento, quo procreatum est, lucis profusionē sibi supparē diffundit. Postremò tam clarū lumen gignit, quàm possidet, quod etiā æquè cernitur perstringere oculorum aciē. Quid igitur miraris Verbum æquale, eiusdē æternitatis, maiestatis, gloriæ à Patre perē-

niter

niter fine eius diminutione manare.

3 Quæ deinceps de finibus bonorum & malorum, quæ lege vestra promittuntur, disputas, nihil contra nos faciunt. Agnoscimus enim etiam *Roman. 7.*
nos legem sanctã, iustam, bonam, cùm ea quis legitimè vtitur, immò verò perfectam in suo genere. Sed intereà negare non potes illi deesse multa, quæ plenè docturum speratis nõ tantùm Messiam, verùm etiam Eliam Thisbitẽ, de quo crebris vsurpatis sermonibus. Elias, dũ venerit, soluet difficultates, quæstionésque. Alioqui quid illorum aduentibus vobis opus esset? Si haberes oculos nec cæcus esses, clarè cerneres nostrũ Christum, quæ non satis de vita æterna in vestris literis explicata quærimini, iam in apertũ protulisse ac docuisse, quod quæritis, fœlicitatem hominis pij, Deique cultoris positam, non in externis Mosis benedictionibus, sed illis internis ac cœlestibus, quę per illas adumbrantur. His spiritualibus sentẽtiis libri sacri apud nos referti sunt. Quare malitiosè imponis nostros religionis suæ puritatem ex eo defendere, quòd penes ipsos sit summa in externis bonis fœlicitas. Nihil enim sæpius canimus, quàm vt spretis abiectísque caducis homines conspirent ad cælestia, in quibus sit vera & solida beatitudo. Addimus Deũ illos, quos chariores habet, morbis, inopia, egestate, contemptu affligere, vt probè calamitatum patientia coctos beet præstantiùs. Quanquam ne *De fœlicitate*
externas benedictiones prorsus Christianis nega- *te Christia-*
tas putes, scito per mille totos annos, vt prædixerat *norum.*

d Iohannes

Iohan. 20. Iohannes in Apocalypsi, à Magno Constantino ad
Nota Iohannis prædicti- dominatum vsque Ottomanorum Turcarum, qui
onē, similiter & Danielis. non nisi abbinc ducentos sexaginta annos regna Christiana inuadere, & regnum Antichristi, quod vestræ scripturæ Gog & Magog appellare solent, erigere cœperunt, in maximo rerum humanarum successu Nostros magna ex parte vixisse. Nimirum
Daniel. 7. completum oportuit, quod Daniel post quatuor mundi monarchias Sanctos regnum suscepturos, & deinde circumacto annorum spatio oriturum corniculū, quod Sanctos partim oppugnaret, partim expugnaret, luculentissimis verbis prædixerat.

4 Quarto loco persuadere vis ex signis & prodigiis, quæ apud vos cōtinua erant, legis sanctitatem atque præstantiam. Vide quò te contendendi studium abripiat. Eò certè vnde non melius tua peruicacia (os impudens) retundi possit. Nam vt eius sanctimoniam ex miraculorum testimonio, quæ olim constanter fiebant, colligis, ita ipsius profligationem ex eo, quòd miracula penitus hodiè defecerint, concludendam relinquis. Cætera, quæ de institutis sacrificiis subiicis, non magnopere nos mouent. Ea enim suo tempore Deo, cui grata acceptáque propter Christum essent, exhibenda fuisse lubentes profectò concedimus. Quæris posteà, si diis placet, nū similiter cōtinentibus mi-
De miraculis Christianorum. raculis Christianam religionem testatam babeamus? Tu tandiu peregrinaris in mundi foro, & adhuc ignoras, quantorum portentorum maiestate Ecclesia culmen auctoritatis obtinuerit? Sanè tot

tantáque

tantáque facta sunt, quæ vel externi scriptores suis historiis, commendarunt, vt si est in fide nostra error, à Deo decepti simus. Nam signis confirmata est, quæ non nisi per Deum fieri potuerunt. Si ista edita non credis, hoc nobis ingẽs miraculum sufficit, iam terrarum orbem, sine vllis miraculis credidisse, qui propterea exiguo ignobiliũ, infirmorum, imperitorum hominũ numero credidit, quoniam in tam cõtemptis testibus, multò mirabiliùs diuinitas se ipsa persuasit. Quid enim incredibilius, quàm vt ad legem carnî & sanguini contrariam doctores pauci, rudes, pauperes possent plurimos potentes sapientésque conuertere? Quòd autem in Ecclesia tibi non videantur perpetua-ri, (quanquam pro locis & temporibus quotidie multa existunt) id fit, quia fides certißimis miraculis inchoata, & diutißimè confirmata satis deinceps præsidij tenet in sanctis scripturis, Spiritus sancti præsentia, consolatione, gratia, Ecclesiarum continenti succeßione, similibúsque puræ religionis κριτηρίοις.

5 Pari fide contra Eucharistiæ augustißimum sacramentum dimicas, dum nos fingis dicere in eo Panẽ & Vinum offerri, qui apud vniuersum mundum semper testati sumus, Ecclesiæ ministros non symbola, sed, quę symbolis comprehendũtur, corpus & sanguinem Christi Deo patri proponere atque offerre in sacrificij illius cruenti in cruce olim peracti viuidam repræsentationem. Præterea, dum nostram de eo confeßionem pergis exponere, fal- *De Eucharistia.*

sa quædam ex tuo capite admisces. Nam non credimus Christum è cœlo ad symbola descendere, aut moueri, non se panē & vini inuestire dicimus, non post sumptionem se, ascēdendo in cœlum, recipere. Hæc enim omnia crassam quandam animi cogitationem præferunt, immò verò, quam habe-
Nota. mus fidem, tollūt penitus. Christum siquidem corpore sacramētis panis & vini adesse credimus, non dimenso cœli & elementorum medio spatio, non relicto suo, quem in cœlis ad Patris dexteram definitum descriptúmve possidet, loco, non interioribus panis & vini per penetrationem clanculū occupatis, sed per quoddam conuersionis genus, quo ex pane corpus, ex vino sanguinem, sine motu, omnipotenti verbo conficit. Ita corpus ibi est postea, vbi ante aberat sine vlla loci commutatione, vt etiam post sumptionem intereūtibus symbolis, illic esse desinit, vbi, quādiu illa manebāt integra saluáque, aderat in cœlis, nō decurso medio, se ipse mox cōperiens. Cæterùm, dum in pluribus locis corpus idem numero versari posse is inficias, quid aliud, quàm tuam, Tuorúmque fidem mirabili cæcitate euertis. Certè persuasissimum habetis singulis ho-
Nota. ris & locis, in quibus infantes vestros circuncidītis, Eliam præsentē esse mysterio. Hoc enim apud vos fide receptū esse, in Malachiam è Talmudicorū scriptis memorat Kimhi. Vnde & cathedram sessuro, vt creditis, Eliæ eo in loco etiamnum hodie adornatis, in quem mysteriū illud celebraturi conuenitis. Nihil est autem, vt hic timeas penetratio-
nem

nem dimenſionum, Nam corpus, vtut quantum ſit in Euchariſtia, in ea tamē non eſt per modū quantitatis aut dimenſionis. Subſtantiæ cedit moles & magnitudo, infinita illa Dei poteſtate, quę captum noſtrum lōgiſsimè tranſgreditur, contrà atque videatur in corporibus phyſicis, in quibus natura ſe intra quantitatis limites frænat, coërcet, circunſcribit. Mentiris etiam dum ſcribis nos demere alendi vim ſacramētis panis & vini, quæ ſumimus, cùm contrà, virtutem ſubſtantiæ, tam agentem quàm patientem in ſpeciebus remanere confiteamur. Agentem quidem, quoniam, verbi cauſa, mouent oculos, guſtum, tactum, & cætera: patientem verò quia tranſmutari poſſunt in alienam ſubſtantiam, vt in carnem, vt in aquam, vt in puluerem.

6 Te nunc currentem ad oppugnādas ſcripturarum noſtrarum munitiones è veſtigio inſequimur. Vt probes incertum eſſe, Chriſtiùsne ortus ſit è ſtirpe Dauidica, Matthæum & Lucam inter ſe committis. Hic, inquis, à Nathan, ille à Salomone profapiā deducit, vt planè eius genealogia incerta eſſe videatur. Vitioſa ſanè concluſio, Matthæus enim Ioſephi, Lucas verò virginis progemē texit. Nempe vt Chriſtum, ſiue in Ioſephum, qui eum adoptarat in filium & hæredem, ſiue in Mariam matrem, quæ etiam alia ex parte verè nata hæreſque Dauidis erat, oculos conuicimus, perſpiciamus duabus de cauſis natales à Dauide trahere. Nam cùm Lucas ſcribit Chriſtum habitum filium Ioſeph, qui fuit Heli, non certè ſignificat, Ioſephum natum ex Heli,

De genealogia Christi.

Nota.

Heli, sed potius generum eius esse. Articuli enim Græcorum iuncti nominibus propriis consentaneam orationi includunt vocē, vt υἱὸν, vt ἔγγονον, vt ἀδελφὸν, vt φίλον, vt γαμβρὸν, vt γυναῖκα, &c. quemadmodū perspicies ex quæstione vndecima. Vnde etiam, cùm ad Adamum, in quē Christi originem per ordinē refert, peruenit, *Qui fuit*, inquit, *Dei*, non vtique filius, (Nam vt Deo tribuatur filius, odio filij Dei ferre nequis) sed effectio & tanquam proles. Sic, vel te iudice, nō filij, quin immò aliud quoddam nomen commodum nonnullis in membris repetere satius fuerit.

7 Hoc quoque verbere, opinor, intelligis sequentem tuam tergiuersationem funditus corruere. Nam Mariæ genealogia è Luca discitur, nec maio rum Iosephi enumeratio ociosa est, quoniam sic percipitur omnibus modis Christum esse è Dauidis posteris, ac in ipsum ius throni Dauidici voluisse non tātùm natura, quam à matre acceperat, verùm etiam lege adoptionis, qua in eiusdem filium à nutritio parente assumptus fuerat. Quod garris Iosephum liberos è virgine illibata suscepisse, non opus est refellere, cùm tute per antipophorā in tuos nodos ensem nullo marte refringendum immiseris.

F'4-2. 8 Prophetiam Esaiæ pertinere ad Christum non ad Achaz sæpius est vobis ostensum, vt te mirū sit idem iterum saxum voluere, & Hydram plane rescissam suscitatam cupere. Cuius rei tibi bellè conscius, non ausus es integram maiorum tuorum ra-

tionem

tionem adducere, vobis quidem certe adamantinam, nobis verò arundineã. Sumit enim, quod erat probandum, signum rem signatam semper antecedere. Exemplo vnico, ne sim longior, ictum illum raucum amoliar. Extremo libro Aggæi Deus se Zorobabelis dignitatẽ pollicetur amplificaturũ, ac in eius rei signum dicit se subuersurum regna, quæ illa tempestate florebant. Persarũ autem monarchiam se deleturum per Alexãdrum magnum intelligit, vt etiam doctores tui Talmudici, Rab. item Selomo, R. Dauid, atque reliqui ferè contestantur, & cunctis tacẽtibus scripturæ litera apertissimè loquitur. Nunc quæro, quid horum antecessisse putes? euersionémne imperij Persici, quem Deus signum Zorobabeli esse voluit, an euectionem Zorobabelis ad amplos honorex, quã per illud indicatam iam ante dictum est? Certè cùm Iddo pontifici occurrit Alexander in Darium Persarum regem properans, iamdudum in rerum natura nullus erat Zorobabel, sicuti ex historiis Iosephi Gorionis filij, Iosippi, & auctoris séder holám luce ipsa compertius est. Te quoque reprehendũt Astronomi, apud quos signa quædam sunt rerum præteritarum, altera præsentium, futurarum alia. Hæc ergo est Esaiæ sententia, Vt certus sis ô Achaz futuræ cladis Assyriorum & regum Israël, qui te nunc obsidione vallant, tibi aliquid maius prænũcio, nempe facturum me vt è virgine nascatur Deus. Quàm constanter instituo Messiam è virgine in lucem edere, tam certè liberabo te de

Agg. 2.

In tract. de idololatria.

Arist. in lib. de Diuinatione per insomnium.

manu Rasin & Phaceę, immò verò regna ipsorum intra 65. annos perdam. Hanc mirabilem prædictionem pro signo habe.

Hierem.31. 9 Eadem capitis vertigine Hieremiam à Matthæo improbè citatum contendis. Licet enim illo capite de exilio & reditu Babylonico propriè sermonem instituat, tamen cum nihil prohibet multa per transitum inserere, quæ habeant quidem cum instituto affinitatem quandam argumenti, verùm prorsus referantur aliò. Sic enim solent omnis generis scriptores sæpe à proposito aliquantum digredi, posteàque orationē eò, vnde discesserāt, reflectere. Cuiuimodi occasionem sacri Prophetæ omniū maximè arripiūt, vt, cùm opportunè possūt, excurrant in Christū, quē sibi pro scopo designant,

Ioël.2 gesta, res & tempora. Testimonio est Ioël, qui à benedictione frugū statim ad Doctoris iustitię aduentum trāsit. Testimonio est Zacharias, qui ab externa Iudæorū liberatione, ad internam Iudęorum & Gentiū reductionē accelerat. Testes reliqui sancti vates, apud quos hac consuetudine nihil est vsitatius. Obiter igitur prædicit Hieremias, tēpore veræ liberationis, cuius figura erat Babylonica, futuram illam cædem infantium Bethleemiticorum, ab Herode rege Iudææ, vt vel hac via Christum adhuc infantem de medio tolleret. Vt autem paulò post subiicis in vniuersum, multa temerè allegari in Euangelijs, ita & in genere te stultum esse responsum sit, qui cùm ne vnum quidem locum producere queas, ad ista rhetorum artificia confugis.

Quæ

Quæ posteà disputas de Mosaïcę legis supra cæteras præstãtia, non carpimus, modò in iis non comprehendas Euangelicam, quam aliquoties docuimus ob adiunctam spiritualem gratiam, sine qua legi nõ paremus, Mosaïca multò esse superiorem. Quàm enim insipida est sine Christo?

10 Nec tibi absolutè damus iura tua Iudaica, quantumuis obtendas diuinam authoritatem, esse cæteris perfectiora. Nã in illis ferendis sæpe Deus *Iudicialia*
vestri tantùm rationem habuit, qui ob ceruicis sca *Mosis lata*
briciem non opus habebatis humanis, æquis, ac li- *pro tẽpore.*
beralibus legibus. Contrà Apostoli à Deo per *Act. 15.*
Christum accepta potestate ad acerbos illos ritus aut politiam Mosaicam nos non alligantes, præsenti potestati præsentibúsque legibus tantùm parere iubent, & approbant leges magistratuum om- *Rom. 13.*
nium tanquam Dei ordinationem. Maximè cùm ciuiles ordinationes è cõmuni gentium iure, quod legis diuinæ quædam est pars & quasi deriuatio, apud omnes pro locis, negotiis, personis, tẽporibus sanciri soleant. Argumentantur autem ex nomine gentium, cùm prædictum sit Gentes credituras esse *Act. 15.*
Christo, nõ debere eas cogi, vt recipiant politiam Mosaicam, alioqui enim desituras esse Gentes.

11 Tandem ad nodum illum te transfers, quem Nostri aiunt ligasse quidẽ, sed non soluisse D. Hieronymum. Quãquam autem vulgò respõdeamus B. Lucam per anticipationem locutum, tamen tuã argumentationem alia plaga reprimam. Septua- *Nota.*
ginta interpretes numero Geneseos adiiciũt quin- *Gen. 49.*
que,

que, non suo certè, sed vetustatis, quæ est edax re-
rum, adde, si lubet, & librariorum vitio. Nam in
numeris editio illorum, quos duobus tantùm in
locis ab Hebraica veritate de industria recessisse
constans est apud vos persuasio, mendosissima est.
Hæc corruptela siue à librariis profecta sit, siue ab
Cap. 7. ipsis interpretibus, fecit, vt etiam Actuũ Aposto-
lorum auctor, qui testimonia scripturæ in rebus
parui ponderis, sæpius ex illorum editione, quàm
Hebraica, citabat, quinarium superadderet. Nam
nec ille, nec reliqui Apostoli, ad docẽdos homines
quicquam referre putabant, alicubi ne dissentirent
à veritate Hebraica, an ex interpretatione Septua-
ginta, quæ illa tempestate propter eruditos, qui
tantùm Grecè sciebant, (exemplo sit tuus Iudæus
Philo) vbique erat receptissima & in maxima ve-
neratione, testimonia proferrent. Sæpe enim solet
esse magis arguta, quàm pia eiusmodi sollicitudo.
Sed & vitium est prudẽti maximè declinandũ, ni-
Cic. 1. Offi. mis, vt inquit ille, magnum studium, multámque
diligentiam in res instituto parum conuenientes
conferre, easdémque non necessarias. Quod sub-
Act. 7. iungis sepulchrum emptum ab Abraham, quo cõ-
diti dicuntur Patres, non situm fuisse in Sichem
sed Hebrone, quem locum olim vendidisset non
Emor Sichemi filius, sed Hebron Ettheus, vt tamẽ
Lucæ litera videtur velle, deceptus es exẽplarium
Locus Acto- manca scriptura. Vbi enim Græci codices habent,
rum resti- ὃ ὠνήσατο ἀβραὰμ sine articulo, legi debet, ὁ ἀ-
tutus. βραὰμ. Quæ particula sic nominibus propriis an-
teposita

tepoſita apud Græcos ſubaudiendum indicat υἱὸν, ἔγγονον aut aliquid ſimile, vt vel ille iſte Actorum locus declarat, ἐμόρ τ̃ συχέμ, qui, te etiam interprete, notat Emor filium Sichem. Quod emit, inquit, Abrahæ (Abraham enim illic eſt genitiuus) nepos Iacob pretio argenti à Filiis Emor filij Sichem. Hiſtoriam babes in Geneſi & extremis verbis Ioſuæ mirè cũ eo, quod aſſerimus, congruentẽ. Gen. 33. Ioſ. 24.

12 Pergis ad decimum tertium caput, quod vt falſi inſimules negas Saülem regnaſſe annos plures quatuor. Et quanquam inficiari poſſem pari temeritate, qua pro tuo iure ſtatuis (Nõ enim ignoras, quàm multipliciter exponantur verba Samuelis, ex quibus huius rei conjectura ſumitur) vt id tibi vltro dem, nihil tamen obtines. Nam Paulus, quòd nollet Thronum Iudaicum à Saule auſpicari propter Chriſtum, quem ex Dauide regni legitimum hæredem intelligebat, retulit Saulis tempora ad Iudices. Cùm ergò Saülem regnaſſe ait annos quadraginta, eius regnum cum Samuelis, ſuicum adhuc imperare videbatur, magiſtratu miſcet, atque ſignificat Samuelẽ & Saulem ſiue ſimul ſiue ſeparatim adminiſtraſſe per tot annos remp. Nec illud fecit ſine exemplo, cùm certè in libro Iudicum Othoniel geſsiſſe dicatur ſummum magiſtratuum 40. annos, quod tamen quadrare non poteſt eum Magiſtrorũ veſtrorum hiſtoriis, immò verò aliis ſcripturæ locis, quos in noſtra Chronologia attigimus, niſi bis ſimul concludantur anni, quibus clauum populi tenuerunt Ioſue & Iudas. 1. Sam. 13. Act. 13. Nota.

13 Sequens

De die Sabbato & Dominico.

Apoc. 1.

13 Sequens disputatio se sua vanitate soluit. Vnde enim probabis Papam transtulisse aliquandò Sabbatum in diem dominicum? Christi hæc est traditio, vt in Apocalypsi Iohãnes noster, dilectus eius discipulus, qui se eo die in spiritu fuisse scribit, indicat. Obseruatio quidem Sabbati Iudæis mandata olim est, sed ad futuram requiem Sanctorum adumbrandam. Nunc autem ablata, quoniam requiem illam iam sumus per Christum cõsecuti. Vmbra enim concedit aduenienti lumini. Cæterùm quoniam in Sabbato duo obseruamus, vnum, quod ad ceremoniam, siue sacramentum, alterum quod ad mores ac spiritualem cultũ pertinet, liberatique sumus iugo ceremoniarum, ita externam Sabbati faciem repudiauimus, vt tamen internam sarctam tectam conseruauerimus. Nam hoc mandato, Memento, siue serua diem sabbati, non opus in perpetuũ præcipiebatur, verùm quies atque cessatio. Sed quoniam illa pleno animi & corporis otio vacuitatéque, Deo singulis téporibus ob quotidianas necessitates satis dependi nequit, Dominicũ nobis Christus sua resurrectione præsertim commendauit. Quæ Sabbati in Dominicum mutatio ratione nititur iustissima. Nam eo Die natus est Dominus, eo resurrexit, eo mundũ fabricauit, eo sancto Spiritu Apostolos Christianę religionis principes perfudit vberrimè. Beneficia sane recordatione digniora, quàm quòd olim sabbato conquieuisset à rebus procreandis, cùm etiã istud non nisi fuerit imago in sepulchro quieturi Christi,

Exod. 20.
Deut. 5.

Sabbatum in Diẽ dominicum ob eius prærogatiuã mutatum.

Christi qui consummatis cunctis suis operibus sequentē Diem illucescere facturus erat in noui orbis principiū. Hæc est enim dies, quam fecit Dominus, in qua nos delectari & exultare voluit, quā de suo nomine per Apostolos in suæ resurrectionis memoriam consecrauit, in qua nobis resurgēdi [Apoc. 1.] à mortuis ac lucem perpetuā ineundi, quemadmodum illo die ipse resurrexerat, & lucē in principio condiderat, fidem spémque concesit.

14 Quę ad extremū de legis excellētia iterū tractas, ulla via demouere nolo. Per me tibi licet donū illud Dei multis verbis extollere, quod certè vsq; ad Christū, qui ei⁹ vmbris viuos colores, spiritū & veritatem superinduxit, erat prestantissimū & humano generi perquàm necessariū. Tantùm dissimulare nòn possum, quòd mihi videaris paulò iniquius stomachari ei, qui vestram legem non multum curare de mentis puritate atque consiliis tecū disputabat. Te enim fortassis putabat persistere in Rabbinorum reliquorū sententia, quam Kimhi in Psalmum 66. his verbis pronunciat. *Iniquitatē si aspexi in corde meo, nō audiet Dominus, hoc est, etiā si viderim iniquitatē in corde meo, quā vel paratus essem in actum perducere, vt vt illa sit corā Deo, atque si eā labiis pro-* [Nota *tulissem, tamen non audiet eam Dominus, q. d. non du-* Vulgatæ sē *cet eam mihi sceleri. Cogitationem enim prauam Deus* tentiæ, Lex *non adiungit operi, nisi certè cōcepta fuerit in Dei fidem* manum nō *atque religionem.* Atqui multò æquior est nostra animum prode vestra lege iudicatio, qui eam consiliū & animi hibet, mocogitationes impuras externis quidem suppliciis dificationē.]

non

non punire, nec de illis iudicium politicum ferre, sed tamen improbare atque Dei vindictæ subiicere omnibus modis censemus.

15 Iniquè etiam indignaris nostro Hieronymo, quòd legem תמימה non *perfectam* sed *immaculatam* (Quanquam eius editionis auctores sunt septuaginta, qui hanc vocē deriuare consueuerunt à מום *macula*, nō à תמם *perfectus est*) interpretat' sit. Is enim tuæ de legis dignitate sententiæ nullo pacto obesse voluit, cùm præsertim suis in libris quauis occasione in ea cælestem doctrinam veneretur commendétque. Ne dubita, quin in sua Psalmorum conuersione, quæ extat inter eius opera, תמימה, vt cupis, perfectam reddiderit. Ille enim est Hieronymus, cuius eruditionis fama ad vos nō sine summo encomio permanauit, quem tu Sapiētem translatorem vocas, quem Elias & multi alij Rabbini Sapientem vel doctum solent appellare, quem denique R. ille Salomon nunquam sine laudis præfatione nominat, sæpéque ad multorum locorum expositionem constituendam titulo Sacerdotis, quo reliquos nostræ ecclesiæ Ministros, inuidioso verbo eos rasos nuncupantes, dedignamini, reuerenter allegat.

Quanti faciant D. Hieronymũ Hebræi.

החכם המעתיק

החכם גירונימו הכהן

הגלחים

FINIS.

RESPONSA



RESPONSA SIMVL ET ARGVmenta, *quæ Rabbi David Kimhi contra Christianos suis ad Psalmos Commentarius inseruit.*

Quarè Fremuerunt, Psal. 2.



Nazareni exponunt de illo homine. Versus autem, quem ad suæ sententiæ confirmationē adducunt & quo nituntur præcipuè, est, *Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu.* Non enim, inquiunt, pronuntiare licet Filium Dei purū esse hominem, cùm præsertim Filius eiusdem sit speciei, atque Pater. Improbè enim equum Rubenis filium dixeris. Quo fit vt eum, cui dixit Deus, *Filius meus es tu*, eiusdem cum ipso essentiæ, deinque pariter esse necessarium sit. Præterea *Ego*, inquit, *Hodie genuite*. oportet autem genitum esse de specie naturáque gignentis.

Tu verò respōde diuinitati nec Patris, nec Filij nomen conuenire.

2 Diuinitas enim siue Deitas non diuiditur. Nam non est corpus, vt diuidatur, sed est vnum aliquid omnibus vnitatis modis atque rationibus. Non multiplicatur, non diminuitur, partitioni obnoxia non est. Deinde obijce illis Patris & Filij leges.

3 Pater

3 Pater filium tempore antecedit, atque de Patris potestate educitur filius. Et quanquam alter sine altero non cohæreat, quo ad rationẽ nominum, quoniam non ante aliquis appellatur pater, quàm habeat filium, aut prius filius, quàm habeat patrẽ, tamen ille qui vocatur Pater, tempore citra controuersiã antiquior est filio, quem procreauit. Itaque diuinitatis, quam dicitis & vocatis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, pars, quam patris nomi ne censetis, partem alteram, quam nuncupatis Filium, præcessisse necesse fuit.

4 Si enim tempore quolibet vterque simul erat, vocari deberẽt fratres gemini, nõ pater & filius, non genitor & genitus. Genitor enim sine dubio antecedit genitum.

5 Et autem, qui contendit absurdum esse filium Dei appellare rem eam, quæ nõ sit de natura Dei, dicito, nos non posse de Deo loqui, nisi metaphoricè, vt cùm illi os, oculos, aures, & his similia tribuimus, quę non nisi allegoricè enunciari certum est. Talis est locutio *Filius Dei, Filij Dei, &c.* Illum enim, qui peragit iussa mandatáque sua exequitur, atque filius paternam voluntatem, filium nominat. Vnde & stellæ filij Dei appellantur in

Iob 38. Iob, *Iubilabant omnes filij Dei*. Similiter hominem, propter spiritum cœlestem, qui in eo inhabitat, cùm agit præcepta Domini, ratione mentis sapientia præditæ, quæ eum docet, Scriptura vocat filium. Proinde enim, ait, *Filius meus es tu.*

Exodi 4. Et, *Ego genui te*. Et alio loco, *Filius meus, primogenitus*

nitus meus Israël. Et, *Filij estis domini Dei vestri*, Et, Deut.17.
An non ipse est pater tuus, qui possedit te? Et, *Ego ero il-* Deut.32.
li pater, & ipse mihi erit filius. 2. Reg.17.

Prætereà roga num Deus sit, cui, vestra quidem opinione, Pater ait, *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam?*

6 Eequonam igitur modo rogat Patrem Filius? Nunquid nō ipse Deus est, quemadmodū & Pater illiq; est potestas in Gentes & terrarū fines, petinde atque Patri? Rursum, Nónne iam ante postulationem possesio eius erant Gentes? Alioqui enim, cùm primum cōtracta esset Domini potestas, postea cumulatior facta esse dicenda est, quod in Deo non conceditur. Respōdebunt fortasse hæc ad humanitatem referri, ex quo Deus carnem assumpsit, quasi Pater polliceatur se humanitati Filij, vbi postulauerit, daturum Gentes in hæreditatem. Atqui nihil tale contigit. Illi enim secundum carnem nullum fuit regnum, nullus in aliquam nationem principatus. Cæterùm si eò se verterint vt Psalmum dicant loqui de fide, quam Gentes recepturæ erant, oppone maiorem orbis partem, tum Iudæos tum Ismaelitas, qui fidem ipsius minimè susceperunt. Te equidem docui, quid illis ad hunc Psalmum respondeas, cætera autem per te secundum ista adiicies. Quod si à te flagitauerint eius expositionem, interpretare vno modorum, quém è duobus elegeris, vel de Dauide, vel de Messia, prout exposui.

Refutatio.

Psalmum secundum de nullo alio, quàm de Iesu Christo saluatore nostro dici omnino profitemur. Quin etiã argumenta, quæ nostros ad id confecisse scribis, prorsus agnoscimus. Tantùm speciei pro essentiæ, vel naturæ, vel substantiæ nomine docendi causa ipsos meminisse monemus. Alioqui enim, ne fallare, diuinitas non est propriè species ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, nec ad tres illas sanctas hypostases se omni ex parte habet, vt homo, quæ species est infima, ad Abrahamum, Isaacum, Iacobũ. Primum, quoniam Diuinitas cunctis vocibus logicis superior est, nec ad earum ordinem siue leges absq; manifesta homonymia exigi potest. Nam quamuis in Deo vniuersa esse dicuntur excellenter (excellentiora enim & præstabiliora ei tribuimus, dum eum credimus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem) reipsa tamen & propriè in illo non sunt. Quod etiam de substantia & relatione, quas solas nõnulli retinent, volo intelligi. Deus enim substantia nõ est, sed maius aliquid, & ideo nullis accidentibus subijcitur, nec relationes quæ in eo affirmantur, sunt de categoria relationis, quoniam de Deo nihil in genere enunciatur. Categoria autem quoddam genus est. Quoniã igitur specie substantia quædam est communior,

Hac analogia hodie Trinitary decipiũtur.

Quomodo genera, species, & categoriæ sint in Deo.

Aug. li. 5. de Trin. cap. 1.

munior, diuina autem essentia generalem commu némque naturam supra se non habet, qua partícipet, nihílque extra eam se fundit, cuius veluti pars sit, vt homo animalis, existimandum non est diuinitatem eiusdem esse rationis cum specie. Deinde species dicitur de multis numero differẽtibus. At-qui tres diuinitatis personæ numero, id est, re aliqua absoluta numerabili, vt Porphyrius intelligit, nullo modo differunt. Qualis enim Pater, talis prorsum est Filius, talis Spiritus sanctus. Quod enim noster Damascenus differre numero scribit, iam Dialecticam eius acceptionem prætergressus est, significaréque voluit Patrem non esse Filium aut Spiritum sanctum, nec Filium Patrem, &c. Nempe quia persona & hypostasi à se inuicem distant. Tertiò, tria humana indiuidua tres homines dici possunt, non autem tres diuinæ personæ tres Dij. In diuinis enim vnica est essentia numero, quæ ideò multiplicari non potest, quia nihil distinguitur à natura. In tribus autem hominibus est tantùm vnitas speciei, quòd in illis aliud sit natura aliud essentia. Essentia communis quædam est indiuiduorum ratio. Natura verò priuata, & singularis forma atque perfectio. Quæ quoniam plurimum in singulis distat, tres homines non sunt vnus homo numero, sed specie. At quoniam nihil prorsus in diuinis hypostasibus differt, nec aliquid in vna est, quod non sit in alia, tres personæ sunt vnus Deus numero. Nec relatio, quæ in vna nõ in altera reperitur, vllo modo impedit. Relatio enim si-

Quare non sunt tres Dij contra Trinitarios.

ue relatiua prędicatio, rei nihil de qua suapte vi dicitur, vel addit, vel immiouit, vel immutat, vt quæ tota non in eo, quod est esse, sed in eo, quod est in comparatione aliquo modo se habere, consistat. Id latius demonstremus proposito Angelicæ naturæ humanæ multò superioris exemplo. Gabriel, Michael, Raphaël, quãuis forma vniuersali vnum sint, propter quam speciei communione vnus dicuntur Angelus, tamen sunt tres Angeli siue spiritus, quia forma indiuidua, formæq́; proprietate numerabili re ipsa inter se scernuntur. At μορφὴ illa τοῦ Θεοῦ, quam diuinã essentiã nominamus, vna, eadẽ singularísque omnibus modis est in tribus personis. Patris enim essentia est etiã essentia Filij & Spiritus. Nã Pater Filio & Spiritui non aliam, sed ipsissimam eandem substantiam sine diuisione aut compositione omnino cõmunicauit. Denique in eadem natura plures homines tribus esse possunt. Diuinitas autem vltra tria minimè progreditur.

Aug. ca.6. lib.7. de Trinitate. De cætero, quoniam dicere tres diuinas personas vnam esse essentiam, sicut aliquos tres homines eiusdem sexus, eiusdẽ temperationis corporis, eiusdémque animi vnam esse naturam, vtcunque simile est, ratiocinationes, quas Nostrorum esse ais, lubenter concedimus. Quid verò ad has respondes?

De verbi generatione. 1 Primùm recriminaris diuinitati Patris Filíique nomen ideo non conuenire, quòd illa non sit diuisionis capax. Scilicet Deus non potuit plenissimè cum Filio essentiam suam communicare sine diuisione, quoniam homo hominem non generat

absque

absque sui decisione? At aliter se habet hominum, aliter generatio filij Dei ex patre. Hominum enim progenies partes sunt quodammodo gignentium, cùm his corporum natura non simplex sed fluxa sit & ex partibus coalescat. Deus cõtrà expers partiũ impatibilisq; est & propterea sine partitione atq; impatibiliter Filij sui pater existit. Non enim effluxio est à re incorporea aut in eam vlla influxio, vt hominibus accidit. Sed quia simplex est, remota omni imperfectione filij pater est. Sic enim suum hominibus verbum nec per perpessionem nec per diuisionem nascitur. Tantum abest vt Dei Verbum ita natum esse arbitrari debeas. Spiritus enim est Deus. Spiritus autem fluxionem non sustinet, non contractionem, non immutationem, non extensionem. & proinde Pater Filium à seipso genuit ineffabiliter & citra pollutionem. Quod igitur in rebus procreatis perfectionis est, nempe sibi simile producere, hoc in mysterio retine, quod imperfectionis, vt mutationem, vt seminis decisionem, procul reiice. Neque enim mole circunfertur Deus, neque corpus habet prægnans, vt istiusmodi sustinere possit.

Athanasius to. 2. de synodi Nicenæ decretis cõtra hæresim Arrianam.

Epiphan. in Ancorato. et hæres. 69

3 Opponis deinde patrem tempore antiquiorem esse Filio. Sed in hoc vim humanæ intelligentiæ superat Dei generatio, quòd cùm nos nostrorũ tẽporis decursu parentes efficiamur, eò quòd antea nulli, postea in rerum natura esse cœperimus, Deus contrà, cùm nunquam non fuerit, atque eidem sit esse ac Patrem esse, ab æterno sui filij Pa-

Athanasius vbi supra.

 ter

ter existit. Egressus eius, inquit Michæas, à diebus æternitatis, vt contra te qui illam etiam auctoritatem corrodis, suo loco docebimus.

4 Nec propterea fratres appellandi fuerunt, cùm hi essentiam dederit, ille acceperit, fratrum autem alij ab alijs vitam minimè consequantur.

5 Postea coaceruas scripturarũ agmen, quibus docere videri vis Filij nomẽ non nisi metaphoricè à Deo rebus tribui. Atqui scire te oportuit, Filiorum alios adoptione & gratia, alios procreatione & natura apud omnes gẽtes dici, ideóque scripturam, quæ locutionibus humanis nostri causa vtitur res procreatas quidem filiorum Dei appellatione dignari, sed eo, quem ipse adduxisti, sensu, alium verò, qui à creaturarum nomenclatura separatus, & in diuinitatis consortio numeratus, propriè, verè, naturalitérque talis sit, Dei filium nominare. Ante solem, inquit, Innon. i. *filiabitur, Filius erit* nomen eius. Vbi Chaldæus, & antequam esset sol præparatum erat nomen eius. Et, Filius meus es tu. Et, Osculamini filium nequando irascatur. Et, species quarti similis filio Dei. Et, quod nomẽ eius & quod nomen filij eius, si nosti. Et, A vulua auroræ tibi ros natiuitatis tuæ. Et, Ex AEgypto vocaui filium meum. Et, Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi. Aamithi, id est, *socium meũ, consubstantialẽ meum.* In quorum sententiam Ben Sirach sapientum vestrorum vnus, de Sapientia diuina loquens, Primogenita, inquit, ante omnem creaturã, Nondum erant abyssi

Psal. 70.
Psalm. 2.
Dan. 3.
Psal. 110.
Oseæ 11.
Zach. 13.
Eccles. 24.
Sap. 7.

abyssi & concepta eram. Et alius, Sapientia Dei emanatio claritatis omnipotentis Dei syncera, & *Prouerb. 8.*
candor lucis æternæ. De qua & pulcherrime Sa *Iob 28.*
lomon & auctor libri Iob philosophati sunt.

6 Demum quæris quàm consentanea nostro Christo sint, quæ de eius principatu & imperio Psalmographus tractat. Petit filius secundum carnis dispensationem à Patre, vt regno quod morte sua promeruit, frui iam liceat, latéque per orbem perpessionis suæ fructus regnet. Non est igitur vt quæ de regno Christi spirituali dicta sunt, ad externam regni speciem, transferas, percontérisve, quonam in oppido carnaliter ille regnauerit? Præterea, vt tibi aliquid indulgeam, & ne videar regnum quoddam Ideanicum, à quo tu animalis nimium *De regno*
abhorres, cogitatione sola complecti, concedere *Christi.*
possum carnaliter (sic enim Magnus Epiphanius *Heres. 29.*
habet) impletum in Seruatore nostro, vt sedeat super thronum Dauid. Post perpessionem enim vniuersa ei subdita sunt, soláque eorũ procuratio mãsit penes homines, quos vt psalmus 44. prædixit, super omnem terram principes constituit, Ius autem & imperium penes illum ipsum, sicut ipse Homo de se significat, qui cùm adhuc in cœlis non fuisset, Data est mihi, ait, omnis potestas in cœlo, & in terra. Thronus igitur Dauid & regia sedes est *Athana. sub*
sacerdotium in sancta Ecclesia quam, dignitatem *finẽ sermo-*
regiam simul & pontificiam coniunctim largitus *nis in euan*
est Dominus ecclesiæ suæ, translato in ipsam thro- *gel. de Dei-*
no Dauid non defecturo in æternum. Sed & trãs- *para.*

tulit illum, & dedit sanctis Christianorum regibus conuertens eos ad domum Iacob, quæ tradita in opprobrium ac direptionem regnabit in Christianis in æternum, & regni eius non erit finis. Non enim populo vllos alios reliquos esse reges, visiones Danielis satis ostendunt, sed hunc solum Mesiam esse prædicant & regem agnoscunt perseuerantem vsque ad secundum suum aduentũ, quo tempore cùm venerit, manebit rex in secula, & regni eius non erit finis. Siquidem genitus ex virgine, & consummatis omnibus, quæ ad negotiũ mortis & crucis pertinebant, post resurrectionẽ ad suos dicebat: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Nempe iam inde regnare cœpit & prędicatur Christianorum rex. Præterea vt multi sunt regnandi modi atque species, ita & Christus in omnibus quidem regnat, sed variè. In piis per fidem & gratiã, in impiis per iustitiæ iudiciorũmque suorum dispensationem. vt Psalmus inquit, *Reges eos virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Ita nullus se ab eius dominatu & imperio explicare potest. Exẽpli causa, in Iudæos apertè regnat, dum illos afflictos, miseros, ærumnosos, & omni humano cœlestique præsidio destitutos in exilio tã diuturno detinet, totíque orbi inuisos reddit. In Turcas, dum eorũ perfidia & improbitate ad suorum emendationem, ne cum hoc mundo pereãt, vtitur, dum nihil magni gerunt sine eius voluntate longè ante per prophetas declarata, quam in credentium vtilitatem refert, etiam si humanum ingenium cala-

Dan. 2.

Quomodo Christus regnat in Iudæos & Turcas.

mitatum

mitatum mole secus interdum cogitet, dum per illorum monarchiam aut potius tyrannidem viam aperit ad implendum propheticas de Antichristo eiúsque mirabili confectione vaticinationes. Postremò cùm scripturæ pronunciant Christum imperaturum omnibus gẽtibus, si id ad fidem, quam recepturæ erãt, pertineat, illa erit omnibus linguis familiaris locutio, qua aliquid collectim pro generibus singulorum dicitur. Significãt igitur aut plurimos, aut aliquos, aut omnes ex omnibus & singulis nationibus obtemperaturos fidei & euangelio. Vides iam Kimhi tuas captiones nusquam consistere.

Dan.7. 11. Eze.38. & 39. Apoc.13. et 20.

Psamus 15. Domine quis habitabit.

Kimhi.

Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, significat pecuniam etiam volentis, non esse accipiendam in re illicita, id est, fœnore. Etsi enim volens sua ei largitur, ex eo tamen dare cogitur, quòd necesse habeat mutuum sumere. Itaque qui illud ab eo in solidum repetit & fœnus præterea, iniquè vsurpat pecuniã proximi, etiam si voluntas eius accedere videatur. Hoc autẽ opus, quoniam illi homines assuescunt facilè, (Non enim tanquam direptio, & furtum, habetur in sceleribus) Lex grauiter notat, commonitionibúsque plurimis prohibet, sed & Propbetæ ascribunt peccatis capitalibus. Dauid porrò & Ezechiel nullo alio interdixerunt, quàm quo lex. Lex autem fœnore Israëlitam tantùm vexare vetat, non externum, in quem fœnus exercere

per

Deut. 23 per eam licet, ficuti fcribitur in Deuteronomio, Externo fœneraberis. Nec eandem ratione dictat in rapina, furto, amifsione rerum, & vexatione. Nefas enim eft externum opprimere aut dirripere, aut eius bona furto tollere, cùm tamen ideo permiffum fit fœnus, quia pecunia à volente & fciente exigitur. Inter nos fecus eft, Ifraëlita enim tenetur pietate profequi Ifraëlitam proximum fuum. Mutuum autem fine vfura genus eft pietatis & beneficentiæ, quinetiam aliquando largitioni præftat. Siquidem plerofq; mortalium pudet donum acceptare, mutuū non item. Sic fe gerere erga exteras gentes nihil opus eft. Non enim tenemur de illis bene mereri aut gratis pecunias noftras commodare, quòd ferè nos confectentur odio. Cæterùm in confeffo eft Gentilem, fi humanitate & beneficio Ifraëlitā profecutus fuerit, ab Ifraëlita beneficentia & merito vicifsim afficiendum effe. Latè hanc materiam tibi pertractaui, vt refpondere Chriftianis valeas, qui Dauidem aiunt nihil pofuiffe difcriminis inter Ifraëlitam & Gentilem, fed abfolutè vfuram omnem inhibuiffe. Nō enim confentaneum eft id Dauidem vetuiffe, quod permifit Mofes doctor nofter ex Dei oraculo, cùm lex clamet, Non addes ei, neq; detrahes.

Deut. 13. *Refutatio.*

Deuteronomij fcripto ad amoliendum à vobis auaritiæ vfurariæq; fcelus fordidifsimum, fruftra niteris. Nunquam enim homini, in quo communis iu dicij

dicij aliqua particula infuerit, persuadebis, quæstū faciendum ex mutuo pecuniæ, multò minus eam fuisse Dei, qui est vniuersæ iustitiæ regula certissima, voluntatem. Nam huiusmodi comparandæ rei rationē naturæ conuenienter non fieri, etiam Philosophi, ad quos Numinis agnitio nō peruasit, constanter asseuerant. Nempe numus inuentus est non vt gignat numum, sed vt sit medium in emptione mercis Est enim propter commutationem, quę ad ea paranda, quibus indigebamus, commodè antea fieri non poterat permutatione rerum, quibus, vtpote domi natis, abundabamus. Iam verò vsura seipsam auget ac in ea numus numum parit. Præterea multas alias causas, quæ non solùm probant vsuras cōtra naturam exerceri, verùm etiam docent in Repub. nullam esse pestem capitaliorem. Tu ad hæc naturæ præclara testimonia opponis Mosis legem, quàm rectè, ipse videris. Ego quidem certè fateor ob ceruicis vestræ duritiā Mosem per quandam concessionem & indulgentiam vobis dixisse, Nō fœnerabis fratri tuo pecuniam aut aliam rem, sed alieno, id est, propter vsuras ab alienigenis exactas, neque morte, neque plagis, neque pecunia, neque solenni oblatione, neque excommunicatione, neque publicę pœnitentiæ satisfactione, vt solet fieri in reliquis maculis legalibus, mulctaberis. Atqui ista permissio, hoc est, ciuilis & externa impunitas, nō est rei, quæ simpliciter liceat fásque sit, sed potiùs quæ minus mala sit, vt deterius maiúsque nefas vitaretur, ne videlicet fratres vestros, vsuris,

Aristo. 1. Politic.

Deut. 23.

Nota quid esset permissio.

ſuris, ad quas eſtis propenſiſsimo ingenio, grauaretis, tamen nec probat, nec iudicat honeſtum. Non enim omnia probant leges, quæ permittunt, ſed, ſicut medici morbos quoſdam prohibent irritare medicamentis, quædam vitia, quæ longa conſuetudine vel etiam perſonarum propẽſione confirmata ſine magno incõmodo nequeunt tolli, diſſimulant, ferunt, indulgent. Quod probè callens Dauid in vniuerſum negat, pio homini fœnori ſtudendum eſſe. Tale enim factum peccatum eſſe maximum, nec quia permiſſum, excuſari poſſe, quòd ſit per ſe & ſimpliciter malum. Verba eius claritate ſolis lucem vincunt, vt oporteat oculos tibi eſſe mirabiliter lippiẽtes. Præterea vt dem vos ſine peccato fœnus exercere potuiſſe, nec alioqui Deum id fuiſſe permiſſurum, tamen improbè nos reprehendis, qui ex hoc Pſalmo iam tale nõ licere defendimus. Nam ad illud, *Qui pecuniam non dedit ad vſurã*, ne gentili quidem, habet gloſſema quoddam Hebraicum. Deinde ex eo, quòd Moſes vobis vſum fructúmque pecuniæ ex infideli permiſerit, non ſequitur, Dauidem omni vſurarum ſpecie non interdixiſſe. Is ſiquidem reſpiciebat, vt ſæpe ſolet, ad Chriſtiana tempora, de quibus in noſtris literis
Luc. 6. dictum eſt: Mutuum date nihil inde ſperantes. Ac ſanè totus Pſalmus videtur loqui de perfectione populi per Chriſtum reſtituendi, qui tanta integritate futur⁹ apud Prophetas prædicitur, vt nec Chananæum ſiue negotiatorẽ, vt tu in Zachariam interpretaris, neque pollutum, neque Manzerem in ſui

fui medio habeat. Neque his assentior, qui simpliciter Christiano vltra sortem aliquid capere permissum censent, vbi ex mutuo vel damnum emergit, vel lucrum cessat. Christianorum enim est proprium etiam cum certissimo suo dispēdio de alteris mereri. Omni, inquit, petēti à te, tribue, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Si mutuū dederitis his à quibus speratis mutuum recipere, quid magni facitis? nam & peccatores peccatoribus commodant, vt recipiant æqualia. Quare cùm Nostrorum aliqui contractibus fœneratitiis prætexūt vulgatam damni emergentis aut cessantis lucri distinctionem, haud dubiè falluntur. Eius enim primi authores nihil aliud per einscemodi vocabula significare voluerūt, quàm tum creditori cum aliquo fœnore caput liceere recipere, quando ex illo mutuo non quæstus, sed rerum ad vitam necessariarum iacturā verè patitur, vt vel cogatur propterea ex suo quippiā minuere, quo proximi necessitatibus charitatis lege occurrat. Hoc enim eventu debitoris est creditorem immunem noxæ, damnique reddere. Alioqui nullus prætextui locus relinquitur, cùm qui mutuat aliunde pecuniam habet, qua se vitámque suam interim tolerare posit. Hæc Christiana est de proposita quæstione sententia, quam etiam confirmare facilè possem tuorum commentationibus. Sed eur luderem multis verbis operam? Habes enim in votis rem tuam augere tam turpi artificio.

Matth. 5. Luc. 6.

Psal.

Psalmus 19. Cæli enarrant.

Kimhi.

Christiani ex hoc Psalmo colligunt legi quæ tradita est in monte Sina circũscriptum tempus fuisse aduentum Iesu. Quasi ad tempus vsque eius fuerit corporalis, ex quo autem venit, iusserit eam spiritualiter intelligere. Porrò verba eorum futilia sunt, vana & inania. Nam præcepta, quæ ipsi habẽt pro allegoricis, quæque intelligi nolunt ad literã, proculdubio aperta locutione & non sub verborum obtentu à Deo sancita sunt. Quare reliqua præcepta nullus intelligere debet allegoricè sed propriè, vtque verbis ipsorum significatur. Si enim essent præcepta allegorica, in dubitatione posita essent, in re verò obscura siue occulta vnus hoc modo, alter illo accipit. Quam opinionum varietatem scriptura in re præsenti non fert. Quia, inquit, præceptum, quod ego præcipio tibi hodie,

Deut. 30. non est admirabile aut Paradoxum neque longe à te positum. Atqui si in præceptis essent verba obscura, neque intelligerentur iuxta literam, essent profectò mirabilia, longéque à nobis posita.

Refutatio.

Quin præcepta omnia Mosi à Deo præscripta tam claram & propè positam habeant vocum significationẽ, vt Iudæos sine vlla explicationis tergiuersatione suo tempore obligarẽt nec ambiguis, nec ambigendi locum vllum relictum esse apertè pronunciamus. Cæterum quòd post Christum, qui finem vmbris imposuit, deinceps figura-

lia seruanda sint prorsus inficiamur. Accepimus enim ab Hieremia & Prophetis alijs, quòd inter legẽ & Euangelia quasi medij existunt, huiusmodi dūtaxat ad tempus vsque emendationis & perfectionis fuisse introducta, quòd seruientem perfectum sanctúmque reddere non possent, sed tantùm sanctificationem iustitiámque per Christum futuram portenderent. Didicimus etiam tempus Christi istud esse, quo Deus reiecto cultu Mosaico, internis hostius longè præstantioribus in spiritu & veritate colendus prædicebatur, quemadmodum coloribus plumbatis adhibentur viui. Ecce, inquit, Dies venient, dicit Dominus, & consummabo super Domum Israel & super Domum Iuda fœdus nouum, non secundum fœdus, quod feci patribus eorum die, quo apprehēdi manum illorum vt eos educerem de terra Aegypti. Et paulò pòst. Hoc autem est fœdus, quod dispona domui Israel post dies illos, dicit Dominus. Ponam leges meas in mētibus eorum & in cordibus illorum inscribam eas, eroque eis Deus & ipsi erunt mihi populus. Nec docebit vnusquisque proximum suum dicēs, Nosce Dominum, quoniam omnes noscent me à minore ad maiorem vsque, quia propitius ero iniquitatibus eorum. Quoniam igitur nouum priori succedere debuit, necesse est, vt illud prius aliquo modo antiquatum sit. Cúmque illud fieri non posset, penes sententiam mysticam atque moralē (Illa enim æterna & incommutabilis est, & reliqua cōtemplationis principia) literæ externam faciem Hiere.31.

atque

atque contextum exoleuisse necessarium est. Ac id quidem, tibi improbandum erat, non autem, quod nemo nostrum vnquam sensit, præcepta Mosaica obscura aut procul ab hominum captu posita esse.

Psal. 21. Vincenti Psalmus Dauid. Exaudiat te Deus in die tribulationis.

Kimhi.

Nazareni exponunt hunc Psalmum de Iesu. Tu verò ita illis ad singulos versus responde. *Domine fortitudine tua*, vide vt fortitudine Patris semota robore vacet Filius. Atqui si infirmus est, non est Deus. Et sic *Desiderium cordis eius tribuisti ei*, item, *Quia præuenisti eum benedictionibus*. Hęc enim verba omnia sunt hominis ab alio pendentis. Quod autē ait, *Vitam petiit à te*, referri nullo modo potest ad eius humanitatem, quoniam sanè non vixit diu. Si verò intelligant de diuinitate, quid istud est, *Dedisti ei vitam*, cùm iam ei suppeteret? Adijcit *Magna est gloria eius in salute tua* significans non magnam eius esse gloriam absque Dei conseruatione. Ita non erit Deus. Qui verò ad humanam eius naturam id pertinere posit, cùm semper vixerit inglorius & contemptus? *Quia rex sperat in Domino*. Diuinæ naturæ non opus est sperare in alio, nec illi necessaria est benignitas Altissimi, ne nutet. De humanitate verò id dictum esse non potest, cùm præsertim cōmota iactataque sit. Atque ita deinceps totus Psalmus.

Refutatio.

Refutatio.

Si Psalmus hic de Messia scriptus est, vt etiam veteres Hebræi & Chaldeus paraph. tradiderunt, eius aliquot particulas in nostrum Seruatorem minimè quadrare frustrà contendis. Non enim absurdè homo Christus Iesus (de illo enim secũdum carnis dispensationem, diuinitate, qua alioqui suspiciendus erat, circũscripta, vt de homine, quem hostes impiè opprimere cupiebãt, sermo erit) non inquam absurdè diuina sua Patrísque ope ad Satanam satanicæque cupiditatis administros Iudæos superandum opus habuisse, & à Diuinitate præter aduersariorum sententiam benedictionem, vitam, gloriam, multáque alia beneficia accepisse prædicatur, tum ea forma serui, qua minor est non tantùm Patre, verùm etiã seipso, cùm maximè vt omnia à Deo speranda & in Deum referenda ipsius, qui hac de causa in carnem venerat, exemplo declaretur. Quædam enim ita de Filio Dei ponũtur in scripturis, vt eum minorẽ Patre ostendant, propter formam serui, id est, propter assumptam creaturam mutabilis, patibilis, humanæque substãtiæ, secundũ quam omnia Christo cõueniunt, quæ reliquis hominibus. Ob eám itaq; causam, quæcũq; tibi præclarè ædificasse visus es, planè subruunt. *August. ca. 1. lib. 2. de Trinitate.*

Psalmus 22, Vincenti de ceruo auroræ.
Kimhi.

Hunc etiam Psalmum *de Iesu* Christiani explicãt, quasi ipse in eo narret cunctas afflictiones, quibus

ab Israëlitis affectus est, clamétque ad Patrẽ è mediis calamitatibus & dicat, *Deus mi, Deus mi quare dereliquisti me*, & totum Psalmum eodem modo. Dictionem autem כארי kaarí (sicut Leo) aiunt significare *foderunt* à כרה fodit, vt in Exodo,

Exodi 21. cùm יכרה *foderit* vir puteum, quòd clauis confixerint manus & pedes eius, dùm illum in crucem agerent. Porrò in errorem inducti sunt ex versiculo, qui ad extremũ Psalmi ita habet, *Et animam suam non viuificabit*. Aiúntque illum ipsum Deum esse, ante quem procident omnes, qui descendunt in terram, illum autẽ noluisse in viuis retinere animam suam, quòd ea lege descendisset assumpsissétque carnem, vt per ipsius cædem seruarẽtur, qui descendebant ad inferos. Noluit, inquiunt, in vita retinere animum suum, sed semetipse paricidarum suorum manui dedit, vt nunc auribus eorum enũtiet prędictus versiculus, quod ipsorum labra verbis ferunt, illum nempe noluisse vitam conseruare animę suæ aut eam eripere de manu interficientiũ. Quod si ita res habet.

Septuaginta & noster, Et aĩa mea ei viuet.

2 Cur vociferabatur, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me, Procul à salute mea?* Non enim ipse se saluum cupiebat. Cur dicebat præterea, *Et non exaudis*, cũ ipse exaudiri nollet. Deinde si ipse Deus erat, se seruare poterat.

3 Præterea Israëlitas commendans, *O Deus*, inquit, *Israelis*, id est, cuius laudes canebant Israëlitæ. Atqui hi erant, à quibus torquebatur? Quo igitur pacto eos ait esse, qui Deum laudarent? Rursum,

In te,

In te, inquit, *sperarunt Patres nostri.*

4 Atqui si verum est, quod ipsi affirmant, non nisi vnus erat illi Pater.

5 Præterea Deúsne de se diceret *Vermis & non homo.*

6 Ecce autem quod adiicit, *Voluentem se super Dominum liberabit eum* (Dominus) nullo modo in eum quadrat. Carnem enim eius nec liberauit, nec eripuit, Diuinitas verò non eget liberationis. Sequitur, *Quoniam tu es qui extraxisti me.*

Sept. & noster, Sperauit in domino, eripiat eum.

7 At illorum quidem sentētia ipsissimus est, qui se extraxit de ventre. Item, *Narrabo nomen tuum fratribus meis.*

8 Deo autem nulli sunt fratres. Narratio verò & laudatio atque confessio, siue gratiarum actio fit post liberationem.

6 Atqui is liberatus non est. Similiter τὸ, *Vniuersum semen Iacob glorificate eum.* Et, *Timete eum, quia non spreuit neq; despexit afflictionem pauperis*, cùm re gesta pugnare ex eo intelligitur, quòd cùm Israëlitæ illum malis afficerēt, affligeréntque,[6] spreuit Pater atque contempsit, & faciem suam ab eo auertens, dum ad se clamaret, minimè audiuit. Ita verba eius omnia falsa sunt, vt etiam quod consequitur, *Adorabūt in conspectu tuo omnes familiæ gentium.* Iudæi enim & Ismaelitæ in eum non credūt.

Refutatio.

In demouendo Psalmi huius argumento aut potius historia (apertè enim patrum tuorum in

Christum nostrum caninā rabiem describit) non tantùm nostram sententiam confirmas, sed etiam Tuos corruptæ scripturæ reprehendis. A quibus enim habent Nostri ex Hebraica veritate, *Foderūt manus meas & pedes meos*, nisi à Septuaginta interpretibus, qui Hebræi singulis ex tribubus ad conuertendum in Græcum sermonem Biblia delecti, & in Aegyptum publica synagogæ vestræ authoritate missi כארו in emendatis suis exemplaribus, trecentis plus minus annis ante confixionis huius euentum legêre? Ac illam quidem germanam loci esse lectionem, etiam ex vestris recentioribus comprobari potest. Nam vt R. Iacob Ben Haïm in vestris literis exercitatissimus, in magna Massóreth, Maarécheth Aleph ingenuè hac oratione scribit, בקצת ספרים מדוייקים מצאתי כתוב כארו וקרי כארי, in codicibus emendatis scribitur *Foderunt*, in margine verò legitur *Sicut leo*. Sic Iohannes Isaac Iudæus olim, hodie Dei misericordia Christianus, quoddam Psalterium apud auum suum se reperisse confitetur, in cuius contextu scriptum esset כארו, in margine autē כארי, vt extra omnem controuersiam sit vos impios ab hinc sexcentis annis, cùm à Nostris tam claro testimonio vrgeremini, vocem margini annotatam, in contextum intulisse, illam verò, quę in contextu scripta erat, omnino omisisse. Deinde etiam si tuam corruptā lectionem sequamur, tueri tamen nostram interpretationem possumus, authoritate patuæ huius Massoræ ב׳ קמצין בתרי לישניא

Bis,

Bis, inquit, vox kaarí affecta caméts in Bibliis occurrit duabus in significationibus, in hoc scilicet, 22. psalmo, & Esaiæ 38. cap. Quo fit, vt si vox kaarí in Esaia sit, *Sicut leo*, profectò in Psalmis eius diuersa sit interpretatio. Ecquænã verò alia, quàm nostra, quæ ex sententiæ vocísque cõmoditate & maiorum vestrorum traditione sumitur? Proportionis enim grammaticæ anomalia obstare nullo modo debet, cùm plurima Elias Leuites in illo suo de anomalis libro, quem inscripsit ספר הרכבה, à vulgatis Grammaticæ legibus magis abhorrentia notet. Postremò ne tuam expositionem à nobis ideò repudiari putes, quòd Christianam fidem aliqua ex parte minuat, illam tibi liberalissimè largimur. Quid tum postea effici arbitraris? Certè sicut leo manus & pedes Christi, quos perderẽt, circundedecunt maiores vestri, aut vt Chaldæus per reticentiam intelligit, momorderunt.

2 Quando autem quæris cur Christus vociferaretur, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me?* & cętera, quæ in eandem sententiam congeris, nõ mea, sed Iohannis Damasceni Theologi permagni apud nos nominis oratione tibi respondebo. Τὰ δὲ τοῦ κυρίου λέλεκται κατ' οἰκείωσιν καὶ ἀναφορὰν, ὡς τὸ, Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες. οὔτε γὰρ ὡς Θεὸς, οὔτε ὡς ἄνθρωπος ἐγκατελείφθη ποτὲ ὑπὸ τοῦ πατρός. τὸ ἡμέτερον τοίνυν οἰκειούμενος πρόσωπον, καὶ μεθ' ἡμῶν τάσσων ἑαυτὸν ταῦτα ἔλεγεν. Quædam, ait, in scripturis de Christo dicta sunt per attributionem & relatio- *Damasc. ort. fid. lib. 4. ca. 20.*

næ, vt Deus mi, Deus mi, vt quid dereliquisti me? Neque enim vt Deus, neque vt homo desertus est aliquando à patre. Nostram igitur sibi assumens personam, & nobis se componens, talia dixit.

3 Cæterùm Deum laudem Israëlis appellauit, respiciens ad veros Israëlitas, qui olim in afflictionibus positi in Deum totã suam spem & fiduciam retulerunt. Absurdè igitur, quod de illis dictũ est, ad impios illos parricidas, qui ne nomine quidem Israëlis censendi sunt, transfers.

4 Nec etiam est, vt te argutè obiecisse arbitreris, eum, quẽ Psalmus loquentem facit, patres mul tos nominare, Christi verò vnum dici Patrem Deum. Nam vnum quidem habet patrem secundum diuinitatem, multos autem ratione humanæ naturæ eo sensu, quo Patrum nomine maiores omnes intelliguntur. Etsi enim Christus in lumbis Patriarcharum secũdum rationem seminariam nunquam fuerit, ab eis tamen secundum corporalem verámque carnis substantiam processit.

Quomodo Christus ex semine Patrum.

5 Itaque homo factus, & indignè à vestris habitus, se meritò, humana tamẽ similitudine, vermem dicere potuit. Nempe quia non pluris sancta eius caro ab impiis & ingratis hominibus, quàm vermis abiectissimus, fiebat. Hinc & Esaias illum leproso & hominum extremè abiecto comparat.

Esaiæ 52.

6 In eo porrò quod Christum ereptum à tuorum manibus negas, te tuíque similes iisdem verbis refellere possum, quibus olim Petrus, Iesum quidem Nazarenum definito consilio, & præscien

Act. 2.

tia

tia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis, sed eũ Deus suscitauit solutis doloribus inferni, secundum quod impossibile erat teneri illum ab eo, & dextera sua exaltauit, tradẽs illi nomen omnium præstantissimum, ad quod omnia genua flectuntur terrestrium, cœlestium, & infernorum. Dauid enim dicit: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear, Propter hoc lætatum est cor meum & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas fecisti mihi vias vitæ, repleuisti me iucunditate cum facie tua. Cuius rei, fama que per totum orbem peruagata est, miraculis inchoata, consensione populorũ nutrita, prædictionibus propheticis aucta, vetustate firmata, testis est locuples. *Psal. 16.*

7 Præcedẽtibus adiungis extrahere se è ventre matris & ab alio extrahi videri pugnantia. Nimirum actiones trium diuinarum hypostaseωn indiuiduas esse & inseparabiles, vt quæ vna agit, efficiant & aliæ, propptereáque Filium Dei è matris vtero tam à se quàm à Patre & Spiritu sancto eductum esse, non intelligis. *Vna trium personarum operatio.*

8 Eadem ignoratione subnectis Deo nullos esse fratres, quasi id dicamus, & nõ potius Christum habuisse fratres homines propter assumptam naturam, cuius causa nobis est ὁμοούσιος eiusdémque essẽtiæ. Similiter enĩ participauit carne & sangui- *Hebr. 2.*

ne, per omnia fratrib⁹ factus similis. Reliqua prosequerer, nisi è superioribus satis diluta viderẽtur.

Psalmus 45, Vincenti super liliis filiis córe. Kimhi.

De Iesu Nazareno Christiani psalmum istum interpretantur, exponúntque *filias regum* allegoricè nationes, quæ ad ipsorum legem perductæ sunt. Nituntur autem verba illorum eo, quo dicitur, *Thronus tuus Deus in seculum & æternitatem*, vbi ipsum Regem & Deum vocat. Abundamus quidem aduersum eos responsionibus, vt etiam istud plenè suo loco declarauimus, verùm vt eis aliquid largiamur & sit *Thronus tuus Deus*, per apostrophen, compellatio Dei, nõ tamen obtinebunt, quin sentẽtia sit huiusmodi. Deum (siquidem *Deus* fuerit vocatiuus casus) ita per deprecationem alloquetur Dauid, O Deus thronus tuus sit in seculum & æternitatem. Thronus autem Dei thronus

Rabini verterẽt Thronus tuus Dei (thronus est) quæ tamẽ interpretatio est coacta et aduersum Christianos excogitata.

1. Para. 29. est regis, vt in Paralipomenis, Seditque Salomon super throno Domini in regem. Porrò retorque in illos & quærito, qua ratione de Deo dicat, *Oleum exultationis præ socius tuis*,[2] cùm Deus non habeat socios, 3 nec pronuntietur de eo, *Astitit coniux dexteræ tuæ*, ne allegoricè quidẽ. Vox enim Hebraica Sheghál importat, vti in nostris commentariis docuimus, coitũ fœminæ, quod Deo minimè accommodatum est. Prætereà quonam pacto dicitur, *Pro patribus nati sunt tibi filij.*[2] Si respõdent Deo filios esse eos, qui in ipsum credunt, iuxta illud,

sad, Filij estis domini Dei vestri, dicito cōcedi quidem filios esse Deo, non tamen patres. Ac iam refutauimus Psalmo secundo, quòd ei patrem assignent, cùm nominat in diuinitate Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Est & aliud responsum, Nam vt tribuatur ei pater, non tamen, vt ipsis quòdque placet, consentaneum est dicere Patres plurali numero.

Refutatio.

Nolo chartam consumere refellendis interpretationibus, quibus, diuinitati Christi nimiùm infesti, vitiatis clarissima illa verba, *Thronus tuus Deus in seculum.* Tam enim illustria sunt, vt nō dubitem, quin tertius aliquis, qui vel literas vestras tantùm tetigerit, secundum nos pronunciaturus sit sententiam. Statim enim sensus hic se offert, sine vllis ambagibus, eclipsibus, & figuris, qua ad obliterandam veritatem inducere cogimini. *O Deus*, inquit vates ad pulcherrimum illum hominum, què iam ab initio à formæ præstantia & dotibus tam corporis quàm animæ laudare cœperat, *thronus tuus*, quem tibi iustitia, mansuetudine, virtute atque fortitudine constituisti, longè est alterius rationis, quàm reliquorum regum. Tua enim regia sedes in perpetuum duratura est, sceptrum regni tui sceptrū est rectitudinis, quod ab æquo nullo munere, gratia, cupiditate, aliàve perturbatione flectitur.

2 Cætera, quæ de sociis & patribus Dei, tibi elegantèr obiicere videris, satis in superioribus explicata sunt. Ineptissimè enim, quæ de Christo propter

per assumptam formam serui dicta sunt, ad ipsius diuinam essentiam traducis.

3 Cùm addis Deo nō tribui sbeghál, id est, con iugem, te cæca animi vertigine correptum appa-ret, qui scis per totum librum Canticorum voca-cabula magis amatoria, immò verò integras di-cendi formulas multò magis voluptuarias, ad de-clarandum arctissimam Dei & ecclesiæ coniun-ctionē, vsurpari. Omitto infinita alia loca tam in psalmis quàm Prophetis, in quibus huiusmodi indiuidua & inseparabilis animorum copulatio, per voces non tantùm coniugales, sed etiam impu dicas & meretricias exprimitur. Nō enim est inso lēs, Scripturarū mysteria, vt quoquo modo homi-nibus insinuētur, verbis è triuio petitis describere.

Psalmus 72. De Salomone.
Kimhi.

Hunc intelligi scribunt Christiani de Iesu Naza-reno, affirmántque illum esse verum Salomonem, cuius propria est pax, quique est Regis Filius. Ideò autem dicere Psalmum, *Saluos faciet Filios paupe-rum*, quòd saluos fecerit, qui in Gehennam desce-dehant, & prætereà *Descendit sicut pluuia in vellus*, quòd diuinitas descenderit de cœlis. Quonā enim (aiunt) modo de homine enuntiaretur descensus, aut vndenam descenderet? Sed tu his verbis frange illorum orationem.

1 Aitis in hoc contextu Deum dici & Regem & regis Filium, fatemini etiam Selomonis vocem re-

ferri

ferri ad Diuinitatem, erunt igitur quatuor.

2 Præterea quorsum petit vt det Pater Filio iudicia & iustitiam suam? Si de carne accipiunt, sanè humanitas non erat regis proles. Nam, iuxta illorũ fidem, diuina eius persona Filij appellationem subit. Sin de Diuinitate, iam profectò habet. Cur igitur postulat, quod sibi suppetit. O amentiam. Occurritur porrò illis eo, quod dicitur, *Ferent montes pacem populo.*

3 Diebus nanque Iesu nulla fuit pax, item eo, *Timebunt te cum sole.*

4 Quot enim extiterunt peccatores & impij, ex quo ille aduenit? Ad id autem, quod vobis obiicitur, *Descendit sicut pluuia in vellus*, vt, quia meminit pluuiæ, quæ descendit de cœlis in terram, indicet pariter regem descensurum populo in terram, pluuię instar, in cuius diebus oriatur iustitia, & abundantia pacis, responderi potest, eo viuo neque 4 iustos neque 3 abundantiam pacis extitisse.

5 Quod verò inquit, *Dominabitur à mari vsque ad mare*, non secundũ carnem verum est, quoniam ne in pagum quidem vnum imperium tenuit, non secundum diuinitatẽ. Nam illius dominationi nulla assignari potest circumscriptio, imperio eius in vniuersum mundum, in cœlum & terras diffuso. *Et inimici eius terram lingent.*

6 Israëlitæ, qui eius iurati hostes fuêre, quo pacto puluerẽ linxerunt. Certè tantisper persecuti sunt, dum eum neci traderent, dominatúmque in hominem exercuerunt. Ipse verò principatũ in illos

habuit

habuit nullum, vt potuerint puluerẽ eius lambere. *Reges Tarsis.*

7 Ecquónam attulerunt illi munus & donũ reges? Ita *Et adorabunt eum omnes reges terræ*, non magis contigit, quàm quod sequitur, *Omnes gentes seruient ei*. 5 Iudæi enim & Ismaelitæ duæ maximæ gentium partes non modò non colunt eum, sed etiam abiurant negántque.

8 Cæterùm de quonã ait, *Et viuet*, si de homine, is non diu vixit, fato functus medio vitæ cursu. Sin de Deo, nihil fuit necesse orare vt viueret. Pro illo autẽ, qui in eum credit, suppliciter petere vt viuat, non est contextui consentaneum.

9 Præterea quid opus est assiduè orare pro ipso, cùm diuinitas non iuuetur precibus. Quod si interpreteris Filium orare Patrem pro omnibus, qui in ipsum credunt, quæro quorsum id agat. Nonne similiter Deus est.

10 *Dabitur ei de auro Arabiæ*, quid istud confert?

Refutatio.

Vt tibi largiri possumus, propriam & historicam Psalmi huius hypothesim cõuenire Salomonis Dauidis ex Beth-sabea Filij regno: ita respondemus & Dauidem & Salomonem ex his fuisse, qui moribus & factis venturũ Christum multis in rebus retulerunt suorum temporũ hominibus. Atque ob hanc causam in Psalmis illis, in quibus de ipsorum rebus scribitur, multa inseri, quæ non tã ipsis quadrent, quàm ei, quem repræsentabãt, Christo. Exẽ-

pli

pli causa, in hoc carmine, cùm Psaltes de regno Salomonis semper loqui videatur, nonnulla tamẽ canit, quæ Christi, præterea nullius imperio congruunt. Sic enim ferebat illorum temporũ ratio, vt mysteria Christi vmbris eiusmodi & imaginibus velarentur, in quæ tanquam in specula introspicere possent hi, quorũ mens à Deo esset illustrata, cæteri præter ipsas vmbras nihil omnino cernerent. Quare, ꝰ vt quę hoc Psalmo dicuntur, omnia Christo non conueniant, quale sit istud, *Et orabunt pro ipso semper*, (non enim fas est pro Christo orationem fundere) cætera tamen ipsi verius, quã Salomoni, de quo instituta erat oratio, tribuũtur. Itaque, vt tuis calumniis resistere incipiam,

1 Primùm fateor me non capere vim argumẽti, quo ex illis, quæ dicere nos ais, cõcludere vis quatuor esse Diuinas hypostases. Nam rex & regis Filius non efficiunt duas personas, cùm de Christi vnica diuerso perinde respectu pronũcientur, atque de Salomone, quem constat & regem fuisse & regis Dauidis filium.

2 Christum autem non esse regis filium, falsissimum est: cùm ipsum à Dauide natales, qui ex catalogo in nostris Euangeliis recensentur, compertissimum sit ducere. Eundẽ duntaxat Dei filium dici, est similiter falsum: tantùm abest, vt id ex fide, quemadmodum fingis, teneamus. Duę enim generationes & quæ æterna est, & quæ ex tempore ita inter se conspirant, vt iam idem sit vtrumque & filius Dei & filius Dauidis. *Theop in 1. cap. ad Ro.*

3 Pacem

3 Pacem verò ad mortales deduxisse iuxta vaticinationes Prophetarum, qui gratiam eius experti sumus, testari abundè possumus. Cõciliati enim Deo, & peccatorum legibus soluti, conscientiam pacatam tranquillámque gerimus, quæ vos miserabiliter sauciat, semperque, dum à Christo alieni eritis sauciabit. Hanc quæ interna & æterna est conscientię securitas, tu contueri non potes, quòd totus oculos ad externã caducámque pacem carnalis defigas.

Quæ Christianorum pax.

4 Vrges deinde ipsius aduentum non ita fuisse salutarẽ, quin adhuc scelerati impunè sineDei metu grassari sint, quotidiéque grassentur. Sed nescis promissiones de Christo diuersis temporibus esse implendas, nouissimè verò eã de qua disputamus, cùm Deus ponet omnes inimicos sub pedibus eius, & enacuabit omnem cõtrarium principatum & potestatem & virtutem.

Psal. 100. 1. Corin. 15.

5 Neque interim desinit Christus dominari à mari Palestino ad vsque magnum Oceanũ, quoniam regnum, quod ab ipsius resurrectione cœpit, quemadmodum Psalmo secundo, vbi eadem ferè opponebas, demonstrauimus, deinceps in cunctis nationibus continuabit.

6 Ex quo etiam intelligi potest Israëlitas puluerem pedum eius lingere, dum extrema quæque, apud omnium nationum magistratus, ipsius diuina potestate atque nutu, ab illo tempore perpetuntur.

7 In quo ei obsequium & tanquam munus exhibent

habent reges tam Christiani, quàm Mahumetani, quorum durissimis legibus viuere cogimini. Præterea enim alia donariorum genera, quibus Christum domini quotannis pij principes iuxta Esaiæ prædictionem afficiunt, [a] scientes quòd is resurgens à mortuis, iã non moritur: mors illi vltra non dominabitur, quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo, cum quo regnat Deus benedictus in secula. *Esa. 32. & 49.* *Roman. 6.*

9 In eo porrò quod Psalmus inquit, *Orabũt pro ipso semper* (quanquam non omnes hanc interpretionem tibi concederent, apud quos litera habet, *Adorabunt de ipso semper*, id est, Christum homines diuino cultu prosequentur in perpetuum) te frustra torques. Nam id neque ad Christi diuinitatem neque ad eius mediationem attinet vllo modo, sed prædicitur hunc Regem mortali luce adhuc perfruentem, tam charum & acceptum fore populo, vt ei diuturnitatẽ vitæ, felices successus, prospera denique omnia magnis precationibus à Deo postulẽt vniuersi. Quod impletum liquet, cùm illum Hierosolymam asina ingredientem populus summo honore excepit, cum fausta acclamatione, Salua filium Dauid, salua ò tu qui es in excelsis, Benedictus qui venit in nomine domini. *Nota verã interpretionem & Hosanna, &c.*

10 Eorum autem aureis muneribus honorari solet, vt constat è templis & ædibus Christanis per totum orbem magna veneratione fabricatis, non quasi ipsi inde aliquid lucri accedat, sed quòd huiuscemodi externis rebus, quas in pretio & existimatione

mationе habent homines, animi gratitudinem erga numen testatam oporteat.

Psalmus 87. Filius Core Psalmus cantici, Fundamentum eius in montibus sanctus. Kimhi.

Psalmum hunc ita de Iesu Nazareno Christiani exponunt, *Fundamentum eius* Iesu. In Sione enim factus natúsque est. Vir porrò, qui natus est ibi, est *altißimus*, hoc est, Deus. Illum ait *natum*, & deinde, *Gloriosa dicta* esse de ea. Quid ita? Quoniam, inquit, tu vrbs Dei es, in qua ille est ortus. Sed tu refutaturus primùm roga, quo pacto dixerit, *Fundamentum eius*, relatiuè, 1 cùm nondum per totũ contextum commemoratum esset antecedens? Præterea si, *Altißimus*, eum refert, qui natus est, quéadmodum sentiunt, vocem, *& ipse*, cõstruentes cum viro nato, cuius mẽtio facta iam fuerat, mone scriptum, *Homo & homo natus est in ea*, phrasi, quæ de hominibus compluribus enuntiatur. Atqui ipse vnus tantùm fuit. Sequitur, *Et ipse fundabit eã.* 2 ecquid verò Iesus constabiliuit in Ierusalem? Affiemantibus istiusmodi non intelligi de lapidibus & lignis, sed de spirituali Sione & Ierusalẽ, ad quam constituendã venerat, id est, de fide, per quam credentes in eum ab illo die setuantur, occurre, atque percontare, quid causæ sit, vt eam modo corporalem, modo spiritualem constituat. Num diserte ait, *Natus est ibi*, quòd scilicet ortus sit in Sion, vrbe, vel interpretantibus vobis, verè & propriè corporali?

porali? de qua nihilominus dicitur, *Fundabit eam.* Id enim proximè subiungitur, cùm interim anteà hæc verba de spiritali Sione dicta esse affirmaretis. Ecce vt transferamini in geminas cogitationes & sensus. Rursum prouinciæ, quarũ Psalmus mentionem intulit, corporales sunt & non spirituales, Aegyptus, Babylonia, Palæstina, Tyr⁹, Aethiopia. Postremò quæstionem facit, quod dicitur de his prouinciis omnibus, *Ipse natus est ibi.* Hoc enim posito babetis dicere in harum singulis natum esse Deum vnum. Tale autem responsum pro magno incommodo vobis est. *Septuag. Hi fuerũt illic.*

Refutatio.

Aliquíne Nostrorũ isto planè modo Psalmum hunc enarrauerint baud satis scio, neque cùm scio, laboro de defendendis omnium expositionibus. Me autem plurimum mouet, quòd eos affirmare scribis Christum natum in Sione, non Bethleemi, cùm contrarium teneamus Euãgeliorum relatione, & sacris Micheæ diuinationibus. Fateor quidẽ tãta obscuritate inuolutum præsentem Psalmum, vt vix duo dari possint, qui prorsus idem explicando sentiant. Sed tamen dubitandum non est, quin pertineat ad regnum Christi, quod à Sione in vniuersas terras propagari cœpit, atque ad Electorũ, quos Deus in cunctis gentibus babet plurimos, vocationem. Etsi autem rectè fortasfis pugnas cum priore, quam tibi opposuisti, commẽtatione, in ea tamen refutanda animi tui candorem desidero.

1 Primùm enim non te latet, quod reprehendis, apud vos relatiuum frequenter poni ſine antecedente. Te vnum teſtem voco, qui pagina nona primæ partis Michlol ad eam rem multas ſcripturas profers. Vnam inde vis, promam! Videbo eum
Num.24. & non nunc, ſpectabo illũ & non prope. Orietur ſtella ex Iacob. Quo loco, te iudice, pronomina, *Eum*, *illum*, referuntur ad Iacob, qui tandem ſequitur.

2 Improbè etiam diſsimulas ſcripturam facere ſæpe tranſitum ab antiqua Hieruſalem ad Chriſtianam, cùm in commentariis ad Pſalmos & Prophetas tam ex tua, quàm maiorum ſentẽtia ſoleas eorum literam ad tẽpora Chriſti transferre, etiam ſi orationis contextus atque ſeries refragari videantur. Sed de his ſuprà cõtra Albonem tractatum eſt pluribus.

Pſalmus 110. *Pſalmus Dauidis, Dixit dominus domino meo.* Kimhi.

De Ieſu Pſalmus hic à Chriſtianis accipitur. Ideò autem aiunt primo verſu demõſtrari Patrem & Filium, quòd legant dictionem לאדוני (*domino*) per camets ſub Nun. Quomodo igitur, inquiũt, *Dixit dominus domino*, niſi quia duæ ſunt perſonæ, & Spiritus ſanctus tertia? Alio præterea errore in עמך נדבות legunt עמך per hiric ſub Ain, & exponunt, *In ſplẽdoribus ſancti*, de ſancto qui ex vtero natus eſt. Tu autem oſtendito lectionem eorum eſſe erroneam. Hieronymus enim illorum interpres

Nos, Tecum principium. Heb. populus tuus voluntates.

interpres hallucinatus est, cùm in לאדוני (*domino meo*) sit hiric sub Nun, & significetur Dauid, quemadmodum exposuimus. Quanam autem ratione poterunt lapsum vnius aduersus multorum iudiciũ retinere? Ab ortu nanq; solis ad eius occasum, quàm longè orbis patet, nostra lectio per hiric, & secundo loco עמך per páthah, omnibus in libris reperitur. Certè ipsi fatentur legem nostram testimonium sibi esse, credant igitur testi. Quod verò pertinet ad ipsorũ errorem, sic aduersus eos ratiocinaberis. Si Pater & Filius sunt diuina essentia, vnus eorum altero non egebit. Nam is Deus non est appellandus, qui alterius indiget. *Popul⁹ tuus*

2 Qui ergo dicet Pater Filio, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos*. Ac illi quidem necessaria est dextra alterius atque auxilium, qui imbecillitate affectus est. Deo non item, qui nec imbecillus, nec potestatis expers est.

3 Cæterùm quo pacto inquit illi, *Tu es sacerdos in æternum*, cùm à primordio nõ fuerit sacerdos & dux? Si respondent Sacerdotẽ accipi in vulgata significatione, asseuerẽntq; ab eo die deinceps futurũ in re alia sacerdotiũ, non quod alioqui offerant carnem & sanguinem, vti ad illum diem vsq; fecerant, sed panem & vinũ ad speciem & formã Melchisedec, de quo scriptum est, Et Melchisedec rex Salem protulit panem & vinum, & ipse erat sacerdos Dei excelsi, require ab eis, cuiusnam dicat, *Tu es sacerdos*. Si filium, ad quem locutus fuerat à principio Psalmi, ad hũc vsque versum, deinceps ad psal- *Gen. 14.*

mi extremum alloqui pergit, quàm id, quæso, videri potest consentaneum, cùm sacerdos sit minister illi qui offert, Deus verò minimè offerat, sed ei potius sacrificetur?

4 Cæterùm, vt id dicat homini alicui in mundo, non habetur ex ratione Psalmi quis ille sit. Quia nec est apud eos ad sacerdotium gerendum certa vlla familia, quolibet se ad illud promouente. Ad quem igitur refertur, *Iurabit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum.* Præterea cur tandem voluntatem suam mutauit, vt cùm primùm præcepisset sacrificare carnem & sanguinem, iubeat deinde panem & vinum offerre? Qui etiam fit vt dicat, *Non pœnitebit eum,* cùm iam illum pœnituerit?

Malach. 4. 5 Nec verò lex ad tempus data est. Nam Malachias qui prophetas claudit, Mementote, inquit, legis Mosis serui mei, quam mandaui ei in Horeb, ad omnem Israel, præcepta & iudicia. Qui & subdit, Ecce ego mittam vobis Eliam prophetã. Atqui Elias nõdum venit, sed nec aderit ante dierum Christi tempus. Iubet autem, vt recordentur legis Mosis, seruando eam, prout sanxerat in Sinai, non prout præceperit Iesus. Vnde vides nunquam mutatum iri legem, sed ea prorsus forma perseueraturam, qua Mosi tradita est.

6 Insuper quid boc sibi vult, *Confodit in ira sua reges.* Ac vbinã prælia, quæ gessit Iesus? vbi etiam reges, quos superauit? Quod verò ait, *Iudicabit in nationibus,* his repugnat, quæ ipsi tradunt, non nisi

venisse

venisse iudicatum animas, easque conseruatum. Sic, *Propterea exaltabit caput*, pugnat cum euentu. Ad hunc enim diem, nondum caput suum extulit, Aperite ô cæci oculos vestros, & maiores vestros mendacium hæreditarium habuisse profiteamini.

Refutatio.

1 Masorethæ, qui punctis tanquam pedicis contextum scripturæ alligarunt, non nos ita mouent, quin, vbi præclarior & literæ congruentior sensus postulat, eos longissimè valere iubeamus. Ne igitur opponas Spiritui sancto Masorethicam lectionem. Nam vel testimoniis humanis, id est, vestrorum Rabbinorum, qui etiam Masorethas multis seculis antecesserunt, constat Psalmum editum de Messia. Deinde non eos ita puto veritati malè affectos, vt Christi maiestatem suis punctis obscurare voluerint. Esto enim, vt, repudiata nostrorum notatione, vestram sequamur. Quid inde quæso? Sanè *dixit dominus* Deus *domino* Messię homini (haud enim Deus est quà homo) vt sederet à dextris suis, frueretúrque potioribus suis bonis. Nã articulum de Sessione ad dexteram, ad humanam eius naturam pertinère non inficiamur.

2 Eget igitur, inquis, dextera Dei, qua fulciatur. Primò nescis quid hic dextera Dei significet. Non enim tantùm robur & potentiam Patris, sed generaliter cuncta bona, quibus illius humanitas inter omnes res procreatas excellit ex donorum communicatione, quàm fieri potest, copiosissima. De- *Quid sit Christũ sedere à dextris Patris.*

inde non negamus Christũ hominem Deo minorem esse, illíque præsidiũ diuinitatis necessarium.

3 Sacerdos autem & dux fuit à prima origine, vt secundo psalmo suprà declarauimus. Etsi enim his muneribus non sit statim functus, tamen iure regni, quod à parentibus habebat, & sacerdotij dignitate, ad quam eum cœlesti voce Pater vocauerat, tantum abest vt caruerit, vt illa officia per sese etiã obiuerit tempore præstituto. Nã, vt regnum, de quo satis suprà dictum est, prætercam, eius sacrificio reconciliati sumus, eiúsque sanguine redempti. Ille enim est, qui tradidit semetipsum oblationem pro nobis, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Nã quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus & æternus pontifex altari crucis per immolationẽ suæ carnis imposuit? Aut quæ oblatio magis accepta, quàm quæ primùm Hierosolymis per Christum ipsum, deinde in omni loco per ministros eius, vt prædixit Malachias, adoletur & offertur Numini, propter quam Iudaicæ vestræ carnificinæ abiectæ sunt? Bene enim habet, quòd neque tu, neque Iosephus Albo, quẽ nuper refutaui, me eò adigitis, vt probem Melchisedech sacerdotem excelsi, Deo panẽ & vinum obtulisse, quasi illud inter nos constitutũ confessúmque sit.

Hebr.5.

De sacerdotio Christi

D. Leo epist. 50.

Malach.1.

4 Ineptis autem, dum astutè à diuinitate Christi ad ministros Ecclesiæ sine medio transis. Partitionis transgrederis membrum, contra quod arma tibi erant rapienda. Nam nec Christus secundum

dum diuinitatem ille est sacerdos, de quo hic Psalmus loquitur, neque Sacrifici Ecclesiæ, quibus nihil præter ministerium demandatum est, verùm Christus secundum humanam substantiam, vel potius secundum vtramque naturam, quâ θεάνθρωπος. Nempe Verbum propter incarnationem nominatus est Pontifex, ac persona illa, quę naturis diuina humanáque constat, Patri sacrificium offert ex massa accepta, vt pro nobis sacerdos constitueretur secundũ ordinem Melchisedech, qui non habet successorem. Manet enim pro nobis in perpetuum dona offerẽs. Et primùm quidem seipsum obtulit, vt solueret sacrificium veteris testamenti, cùm perfectius & viuens pro toto mundo obtulerit ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse pontifex, ipse ouis, ipse agnus, omnia in omnibus factus, vt nobis vita omnibus modis fieret, & sacerdotij sui immutabile firmamentum in secula efficeret. Deinde verò sacerdotium continuat in æternum secundum similitudinem Melchisedech, quoniã perpetuò in cœlis quidem per sese Patri offert corpus suum cicatricibus suæ obedientiæ notis tanquam gẽmis effulgens. Quinetiã illic memoriam cruenti sui sacrificij, quod pro nobis olim in cruce peregit, assiduè infert, interpellans pro nobis non tam oratione quàm merito. Eius enim meritum etiam nũc valet, viget, viuit apud Deum, ad quem melius loquitur quàm sanguis Abel. In terris autẽ per ministros Ecclesiæ, per quos corpus & sangui-

Qua ratione Christus sit sacerdos.

Cyrill. anathem. 10. Epipha. hæres. 55.

Oecu. in ep. ad heb. cap. 5. 10.

 nem

nem suum sub symbolis panis & vini ritu Melchisedeciano, Deo quotidie proponit atque repræsentat, vt in nos deriuet fructum, quem primum sua perpessione hominibus promeruit. Ita sacerdos est in æternum, non quidem quasi sacerdotis officio apud Patrem, post mundi huius renouationem sit functurus, sed quia ad diem illum vsque sine intermissione miseris nobis se talem, præbiturus sit. Post iudicium enim restitutione omnium in integrum facta, Sacerdos & Mediator & intercessor esse desinet, cùm aboleuerit omnem principatum & omnem potestatem & *δύναμιν* cõtrariam, tradideritque regnum æternum Deo ac Patri, sublatis infirmitatibus atque miseriis, quarum causa constitutus fuerat Sacerdos. (1. Corin. 15.)

Quod verò attinet ad ministerium rectè quibuslibet probis viris sine familiarum aut generis delectu assignatum, aliter quàm in lege vestra fieret, non longè petam defensionem. Te duntaxat rogabo esse memorem eorum, quæ ad extremum Psalmi 87. scribis. *Ex vniuersis, ais, nationibus adducent in Sionem pro oblatione quemcunque, qui natus in ea fuerat, quia dictum. Et adducent omnes fratres vestros ex cunctis gẽtibus munus Domino. En, inquient, Israëlitam, en Sacerdotem, en Leuitam. Quin etiam ex illis accipiam in Sacerdotes & in Leuitas, scilicet tam ex Gentilibus, qui adducent, quàm ex Israelitis, qui adducentur.* Ipse te nunc concilia. (*Esaiæ. 66.*)

Malach. 4. 5 Quæ de perennitate legis affers ex Malachia, te iugulant. Disertè enim monet, vt retineant Mosem,

ſem, à quo idolomaniis & impietatibus ſolebãt recedere, donec veniat Elias, quaſi poſt ipſius aduentum alium habituri eſſent legiſlatorem, de quo etiam Moſes vaticinatus dixerat, Prophetam ſuſcitabit de medio veſtri dominus: ipſum tanquam me audite. Falsò adiicis Eliam nondum veniſſe. Nam, vt taceam Iohannem Chriſti Baptiſtam & præcurſorem miſſum fuiſſe diuinitus, in virtute & ſpiritu Eliæ, adfuit & ipſe corpore in Transfiguratione domini, eique vnà cum Moſe teſtimoniũ, de ipſius exceſſu loquens, perhibuit. Deut. 18.

6 Porrò, hanc contra nos diſputationẽ vt à carneis neſcio cuiuſdã tyrannidis cogitationibus cœperas, ita nunc eodem terminas ſpiritu. Deus, qui genus tuum olim delegit, mentem tibi reliquiſque Iudæis aperiat, vt tandem agnoſcatis bella Chriſti aduerſus Sathanam, mortem, peccatum, tyrannos, non accipiẽda ſenſu quodam Martio. Prælia, quæ gerit, eius ſunt rationis, vt diu impios Euangelio reſiſtentes toleret, ſi qua via ad agnitionem veritatis reuerti velint, ad vltimum patientiæ ſuæ pertæſus, de medio deleat. Ita vetus Romanũ imperium idolorũque cultores partim conuertit, partim perdidit. Ita veſtram gentilitatem per tot ſecula affligit. ita expectamus certiſsimum Iſmaëlitarum exitium illuſtratione aduentus domini, cui Pater omne iudicium dedit.

FINIS.



OBIECTA HEBRAEORVM EX IPSORVM vernaculis Latina facta, & breuißimè confutata.

1 Vare, Quonam pacto dicitis Iesum venisse vt cõseruaret homines à sceleribus, & illos eriperet è Gehenna, cùm ipse interitu suo peccatum Iudæorum, qui in crucem egerunt eum, auxerit? Nullum enim facinus grauius attentari potest, quàm Dei crucifixio.

Respondeo, Causa tanti sceleris nõ Christo nostro asignãda est, sed Iudæis ipsis, qui sponte necẽ Christo consciuerunt, nisi fortasse ex cõsecutione, seu (vt Græci loquũtur) κατὰ συμβεβηκός. Quoniam, dum sponte oblatam salutem noluerunt recipere, factum est, Dei iudicio æquissimo, vt pœnas capitales dependerent. Tale quid extat in nostri Lucæ euangelio, *Hic positus est in resurrectionem* (propriè & καθ' ἑαυτὸν) *atque ruinam multorum.* Lucæ 2. (κατ' ἄλλο.) Quod enim Christus quibusdam ruinæ est, non est eius finis & institutum: nam non venit ad perdendũ. Quod verò alijs resurrectionis & saluti, est eius proprius finis & destinatio. Venit

enim

enim ad seruandum. Tale etiam in Osea, vt tibi ci- *Oseæ 14.*
tem aliquid è nostrûm vtrique communibus scri-
pturis. *Rectæ*, inquit, *viæ domini et iusti ambulabũt in*
eis: præuaricatores verò corruẽt in illis. Ex eo enim po
tes discere aliud esse causam, aliud occasionem, ac
quàm aliena tua sit quæstio, facilè intelligere.

2 *Quære*, scribitur in libro Matthæi, *Non veni vt* *Matth 5.*
soluam legem, &c. Atqui scribitur in lege Mosis, *Die* *Leuit. 12.*
octauo circuncidetur caro præputij eius (masculi). Si-
militer scriptum est. *Omne mandatum quod ego præ-* *Deut. 4.*
cipio tibi hodie seruabitis faciendo. Non addes ei, neque
ex eo detrahes. Ipsum itaque liquet reum esse vio-
latæ legis.

Respondeo, Legem non sustulit, qui eius perfe-
ctiorem obseruationem instituit, quique monitis
suis & legibus commendatiora reddidit naturalia
præcepta, atque diuina, hoc est תורה propriè. Iã
iste ab his naturalibus & æternis præceptis ad cęre
monialia seu חוקים, & iudicialia seu משפטים,
quæ tantùm vsque ad emendationis tempus fuerãt
imposita, vt noster Paulus scripsit, disputationem *Hebr. 9.*
trãsfert. Quasi verò istorum non sit magnum dis-
crimen, & nequeant aboleri figuralia (ne prorsum
vniuersas cæremonias abrogatas dicam) iudicialia
quoque partim retineri, partim deseri, nisi simul
Lex, quã perfici solis moralibus præceptis & insti-
tutis, constat, censeatur soluta. Si id sentis, trãsige
cũ tuis Talmudicis doctoribus, quorum, vt tradit
kimhi ad Psalmum 100, hæc sunt verba: Omnes o-
rationes in aduentu Messię cessabunt, at confessio
non

non desinet. Omnes oblationes cessabunt, at non oblatio laudis, &c.

3 *Quære*, si Deus ipse, quamobrem se vocauit filium hominis. Nonne verò inuenimus in quamplurimis locis monentem legem, ne similem facia-
Num.3. mus Deum filio hominis, sicut scriptum est, *Non homo Deus, vt mentiatur, aut filius hominis, vt pœnitudine ducatur.* Rursum Dauid inquit, *Ne fidatis in principibus, in filio hominis, &c.* Præterea, *Maledictus vir qui sperat in homine.* Huiusmodi autem omnia conueniunt in Iesum, qui hominis filius dicitur.

Respondeo. Quæ citas, pertinent ad purum hominem. Qui autem Deus simul & homo est, ex vnione illa duarum naturarũ admirabili, quam ὑποστατικήν. id est, personalem appellamus, talis non est. Filius enim Dei est, vt in symbolo Apostolorum profitemur, hoc est, Deus ex Deo genitus, & idem ex Maria virgine natus, id est, homo ex homine verus. Vides quàm intempestiuè contra Christum Deum scripturæ testimonia producas.

Esa.66. 4 *Quære*, scribitur in Esaia, *Qui edunt carnem suillam & abominationem & murem, simul consumentur, dicit Dominus.* Sensus literæ est, carnem porcinã nunquam permitti.

Respond. Sensus hic literæ carnalis est, & proinde nihil ad nos, qui sumus soluti cibis carnalib*, atque adeò tota lege Mosaïca, quatenus illa res futuras adũbrat. Illud est quod Augustinus de Ciuitate Dei scribit figuralia eius exoleuisse. Lege,

si in-

si intelligis Hieremiam cap. 31. Intereà, fateor, Esaias dum ista scriberet, ad illam externam cæremoniam respexit: sed eo consilio, quo reliqui Prophetæ describẽdis Christi temporibus, solent eius in homines beneficentiam, & in ingratos maledictionem, allusionibus è medio sumptis, designare.

5 *Quære*. Quamobrem ieiunatis die sexto, quo ille crucifixus est? si verum est, quod iactatis, vos crucifixione & suppliciis eius liberatos, deberetis illo die festum, conuiuia, & hilaria concelebrare.

Respond. Non ita nos gerimus, qua ratione erepti sumus orco (huius enim facti memoriam in diem dominicum, qui celebrandis Christi domini beneficiis destinatus est, transferimus) sed quâ cruciatibus eius, quos illo die in corpore suo innocẽs pertulit, cõpatimur. Si quid in eo peccetur, reprehendendi similiter erunt Tui, quorum puellæ post anni circulum in vnũ cõueniunt, vt filiam Iephthé Galaaditis, diebus totis quatuor plangant, cùm tamen eo ex luctu nihil fructus possit capi. *Iudic. 11.*

6 *Quære*, Quid amplius Iesus præstitit, quàm reliqui sancti Dei homines? Ecce enim Enoch & Elias ascenderunt in sublime. Moses conuertit aquas in sanguinem, dulces reddidit aquas amarissimas, duxit Israelem per medium maris. Eliseus ex vno cado olei, quamplurimos plenos fecit, curauit Naaman Syrum ex lepra, vitæque duos mortuos restituit: nec eos propterea credimus deos, sed homines.

Respond. Non miracula, sed modus, quem sequutus

quutus est in edendis miraculis, diuinitatẽ Christi arguit. Modus erat cum potestate & imperio, Adolescẽs tibi dico surge, &c. Quis sic imperauit vnquam vẽtis? &c. Deinde habemus firmiorem propheticum sermonem, cui attendimus quasi lucernæ ardẽti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris, & cætera quæ Petrus subiicit conuenienter Christo, cuius hæc sunt ad cæcos tuos patres verba. Scrutamini scripturas, illæ sunt quæ testimonium de me perhibent. Duplici enim operatione distinctum eum à pseudochristis legimus & prædicationis & miraculorum. Postremò tu contra conscientiam ascensionem Domini nostri comparas cum raptu Enoch & Eliæ. Ipsi enim eorum corpora igne coelesti in supremo aëre cõsumpta esse traditis, atque ita corporibus exutos in coelum peruenisse.

2.Petr.1.

Tert. aduer sum Iudæos, pag. 133.

7 *Quære*, Quid verba vestra volunt, quibus dicitis ipsum filium Dei esse? Certè compertum in multis locis Israelitas vocari Dei filios, vt, *Filij estis Deo*. Itaque si ipse propterea Deus fuerit, omnes Israelitæ pro dijs erunt habendi.

Respondeo, Non valet argumentum, quia Christus Dei filius dicitur i scripturis alia ratiõe quàm Iudæi. Ille per naturã, hi adoptione, vt ex scripturis doceri potest. Quo fit, ut illi dij non sint, hic verò maximè. Quemadmodum enim filius hominis verus est homo, ita filius Dei verus est Deus. Deus de Deo, Deus verus de Deo vero.

8 *Quære*, Qui Messias vester princeps pacis fuit,

fuit, cùm omnibus diebus eius prælia sçuierint, nec ex illo tempore mundus deferbuerit à bellis, scriptúm que sit: *Multiplicationi principatus & paci non* *Esa. 9.*
erit finis. Quinetiam Iesus dixit: *Non veni mittere pacem in terram, sed gladium*. Verba igitur eius Prophetis contradicunt.

Respond. Prophetæ his locutionibus docebant tempore Christi magnam fore trãquillitatem, securitatem, & pacem conscientiarum, quæ nunquã excidit, etiam si fractus collabarur orbis. Christus verò noster de pace externa loquebatur, quã conscientia Christiana sæpe discindere cogitur. Quæ enim consensio probi cum Sarana?aur, Quæ conuentio intercedere potest inter mulietis & serpen *Genes. 3.*
tis semen, vt in vestris literis signatum est?

9 *Obiice*, Si ille Deus est, quare se ipse texit carne, & quãobrem non manifestè processit in hunc mundum, vt palam legem suam nouaret, ne scilicet ætatis illius homines errarẽt? Maior enim perditio, qua perdidit illo carnis velamento, quàm redemptio. Nam proculdubio ob illud velamen infiniti ab eo auersi sunt, ne in illum crederent.

Respondeo, Christus homo effectus est, primùm vt salutem nostrum in suo corpore promereretur. Deinde vt legẽ suam, quam primus exatlantis mul tis laboribus seruauir, præmonstrato exemplo stabiliret. Non enim datus est nobis, vt redemptor vel seruator tantùm, sed etiam vt legislator obtem *Hebr. 5.*
petantibus sibi factus causa salutis æternæ. Omitto cæteras causas, quas Athanasius recenset in libro

bro de incarnatione Verbi. Hoc igitur incarnationis mysterium, quo ad res præclarius gerendas omnes excitari debent, si qui in suam perniciẽ trahunt, non Christi diuinam suam maiestatem carne adumbrantis est culpa, qui eam idcirco induit, vt à se auersos, ad se conuerteret, sed impiorum, qui dicunt Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Iob 21.*

10 *Obiice*, Vt fuit Ionas, inquiunt, in visceribus piscis tribus diebus totidémque noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ diebus tribus & noctibus tribus. Hoc verum non est. Ex ipsorum enim verbis non nisi tribus diebus & duabus noctibus fuit in sepulchro.

Respondeo, Typi non semper ad amussim respondent, vt non necesse sit exactam planè esse vtrobique temporis rationem. Deinde Scriptura trium noctium fortasse κατὰ συμπλοκὴν meminit, quia tridui mentionem fecerat. Potest esse & synecdoche, vt cùm apud Iurisconsultos dies ceptus habetur pro completo. Hanc quæstionem ita tractat Augustinus: Ipsum dimiduum non totum & plenum fuisse scriptura testis est. Sed primus dies à parte extrema totus annumeratus est, dies verò tertius à parte prima & ipse totus. Medius autem inter eos, id est, secundus absolutè totus viginti quatuor horis suis, duodecim nocturnis, & diurnis totidem. Crucifixus est enim hora sexta, cùm esset dies sextus sabbati, & spiritum hora nona tradidit: Sepultus autẽ, cùm iam sero factum esset. Sic *August. lib. de Trin. cap. 6.*

enim

enim se habent verba Euangelij, quod intelligitur in fine diei. Ergo à parte extrema totus computatur, sicut tertius à parte prima. Nox enim vsque ad diluculũ, quo domini resurrectio declarata est, ad tertium diem pertinet.

11 *obiice*, Scribitur, *Non videbit me homo & viuet*. Quid igitur? Si Iesus Deus erat, cur cernebãt eum mortales omnes, & ne vnus quidem illorum, qui eum spectarunt, mortuus est? *Exodi 33.*

Respond. Vides Iudæe, vt nodum imprudens soluas. Ideo enim mortui non sunt, quia diuinam & augustam formam ille carne contexerat. Deum enim tantùm cernebant per mediã humanitatem, qua erat indutus.

12 *obiice*, Scribitur, Quicũque fidẽ habuerit in Iesum, sicut granum sinapi, verbo suo ille montem transferre poterit. Atqui ipsi videmus, vt qui inter illos vel sanctissimi sunt, nequeant rem vllam, vtut exilem edere, quãto minus reliquum vulgus? Non est itaque in eis positum aliquod opus edere, quãtumuis in eum credant.

Respondeo. Sententia, quam citat ex Matthæo, restringi debet ad vsus necessarios. Nam temerè aut inaniter Deus suam potentiam ostentare nec vult, nec solet, ne ipsius beneficia sordeant. Alioqui enim desinerẽt esse miracula, cùm inter illa & ea quæ Deus facit vsitato naturæ cursu, & naturalia appellantur, distinctio fiat per vsitatum & inusitatum. Intereà ad perfringendam infidelium & maximè Iudæorũ, quæ gens signa perpetuò quæsiit, *Quid miracula, ex Au. 3. de Trinit. cap. 6, et 10.*

h pertinea-

peruicaciam, initio potestatẽ edendi miracula cõ-
cesserat, conceedit, & concedet, vt opus erit.

13 *Pete*, Si Messias vester Deus est, quare inequi-
tauit animal immundum? Nónne scriptum est in
lege, *Nec bouem, nec ouem pascant è regione montis hu-
ius* (Sinai) Quid igitur, si decreuit, ne mũdum ani-
mal pascant, quanto minus immundum. Atqui hic
ipse sua sponte insidet animali immundo.

Respond. Inequitat Christus animal immundũ,
quòd iã instaret horum delectuũ finis, & vt signifi-
caret nihil eorum deinceps, quę ipse grata & acce-
Act. 9. pta haberet, profanũ esse. Hinc illud in Actis, Quę
Deus purgauit, commune seu immundum, ne di-
Zachar. 9. xeris. Inequitat etiam, vt impleret Zacharię vatici-
nium. Denique, vt esset immundus asinus ad esum
& potum, nõ tamen ad vsum iumentarium. Alio-
Iud. 10. qui cur triginta filij Iairis in triginta asinarũ pul-
lis sine reptehensione leguntur sedisse?

14 *Percontare*, Quare Iesus esuriit? Si dicas pro-
pter carnẽ, ecce videmus Mosem, cui pax, qui iti-
dem caro erat & sanguis, ieiunasse quadraginta
dies, noctésque totidem, quãdo accessit ad diuinã
maiestatem, neque tamen esuriisse. Vnde igitur hu
ius, qui quidem Deus fuit, esuriit caro?

Exo. 24. & *Respond.* Moses Deo miserante non esuriit post
34. quadraginta dierum abstinentiã, quòd inde nullus
4. Ezræ 16. fructus sequuturus fuisset. Quod de Elia & Ezra
prophetis, quorũ quadragesimale ieiuniũ in scri-
ptura notatur, eodẽ modo sentiẽdum est. Christus
cõtrà fame afflictatus est, & suę naturæ carneæ per-
missus,

missus, vt fructus huiusce meriti vberrimus ad nos manaret, & eum intelligeremus verè hominē esse, qui fami, siti, &c. verè obnoxius fuerit.

15 *Roga*, An agnus paschalis adūbraret Iesum. Si ita est, simplex literæ sententia est generandos & suspendendos fuisse multos Iesus, posteaquam iussi sunt Israelitæ mactare non agnum vnum, sed plures.

Respond. Iste ita ratiocinatur quasi nefas sit, vnius & eiusdem rei multiplices esse imagines, aut ex multiplicatione similitudinū sequatur necessariò rerum multiplicitas. In quo damnat Amosum prophetam (vt cæteros pręteream) qui ex trulla cemētarij 7 capite, ex vncino pomorum 8. ex superliminarium motu cap. 9. euersionē imperij decem tribuum vnam eandémque, iuxta suas ipsorum interpretationes, adumbrat. Sic Daniel visione hominis, qui esset capite aureo, humeris argētcis, ventre æreo, cruribus ferreis, & spectaculo quatuor bestiarum diuersi generis, eandem planè monarchiarum seriem cernit. *Dan. 2. & 7.*

16 *Quære.* Scriptum est, *Accipite, hic panis est corpus meum, & hoc vinum est sanguis meus in nouo testamento.* Quomodo factum est istud? Præscidit scilicet frustum carnis suæ, & dedit illis, aut corpus eius erat ex pane & vino, atque ex eo, quod reliquū erat, dedit illis, & hoc corpus est, quod comederūt ac biberunt.

Respond. Primò falsò citat verbum Christi. Non enim dixit, *Hic panis est corpus meum*. neque

Hoc vinum est sanguis meus: sed *Hic est sanguis meus*, *Hoc est corpus meum*, verbis longè aliud significantibus. In his enim & similibus locutionibus demon-
Nota. stratiuum est vagum, & definitur atque circunscribitur per sequens substantiuum. Deinde ridiculos modos, quibus corpus & sanguis Christi distribuantur in sacramento, præscribit. Aliter enim Christus se in eo dispensat, quàm præscindẽdo frustum carnis suæ, aut habẽdo corpus compositum ex pane & vino. Nempe modo siue spirituali siue sacramentali. Etsi enim secundum rem se tribuat corporaliter, carnaliter, realiter, & verè, vt antiqui Theologi disertè locuti sunt, non tamen secundũ modũ. Is enim est sacramẽtalis & mysticus. Nã ne horrorem crudę carnis induceret, forma panis & vini ad hoc mysterium vsus est. Sed is ingenium Iudæorũ
Iohan. 6. superat, quod etiam à suis Carphanaitis patribus velut hæreditarium habent.

16 *Quære*, Quamobrem afflicta fuerit eius anima ad mortem vsque. Si eum locutum dicas, de carne, quæ (mortis terrore) consternatur, nunquid non dixit, *Afflicta est anima mea*, non autem, Afflicta est caro mea. Præterea nemo nescit, carnem sermonis expertem esse & planè brutam, essêque tanquam saxum, sine vi spiritus.

Respond. Hic nos fingit dicere carnem sine animo dolere posse. Atqui omnes experimur contrarium. nam cupiditas, appetitio, sensus, voluptas, dolor, & huiusmodi reliqua de earum actionum genere sunt, quas Philosophi non proprias animi,

non

non corporis, sed vtriusq; communes esse tradunt. Affligitur igitur tota Christi, humanitas tum quia animus vna sui parte, vt ita nunc facultatẽ vocem, corpori hærens immersúsq; est, cùm maximè propter patibilitatẽ, cuius per cõtagionem carnis etiã ipse capax est. Adde sensilia, vt obiectum, vt phantasiã, agere in animam, quantumuis sit spiritus. Postremò quemadmodũ dolor est corporis animati & viuentis, ita tristitia & ægritudo est animi. Is enim similiter suas habet perturbationes & πάθη.

18 *Quære*, Si est Filius Dei, Pater autem & Filius vnum sunt, necesse est, vt sit etiam voluntas vna. Atqui ipse cùm orat ante patrẽ ait, Pater, si fieri potest, ne bibam istum calicem, fac sin minus age, quod æquum est oculis tuis. Ne fiat voluntas mea, sed tua. Si res ita habet, non fuère eædem voluntates.

Respond. Voluntas Christi, quâ Deus erat, omnibus modis vna eadémque cum patris voluntate. At voluntas Christi, quâ homo, non item, tametsi eam ad consilium patris inflecteret. Vt cum in temperante voluntas sensus, quã melius appetitionem & cupiditatem appellaueris, rationi, quæ vera voluntas est, obediens redditur. Interdum enim appetitus nos aliò mouet quàm ratio. Sed sapientis est, aut potius temperantis istiusmodi stimulos rectæ rationi consentientes efficere.

19 *Quære*, Si ipse Deus est, quare inter orandum Patri suo dixit, *Fiat voluntas tua*. Inde enim constat illum ad agendum aliquid nulla vi præditum fuisse, sed

se, sed omnia posita in patris voluntate, atq; si quid egerit, id voluntate Patris sui egisse, non sua.

Respond. Eadem huius solutio atque superioris. Sunt enim, vti dixi, in Christo volũtates duæ, quẽadmodum *&* naturæ duæ. Hac autem oratione exponebat humanam suam voluntatem Deo. Deinde, vt Græci dicunt, hæc agebat κατ' οἰκονομίαν τῆς σαρκός, secundum dispensationem carnis, vt se verum hominem demonstraret.

Math. vlt. 20 *Quære*, Quorsum dixerit, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Quis, cedo, dedit ei. Si enim filius Dei est & Deus, veluti censetis, non opus habuit donatione. Nónne vniuersus mundus eius est?

Respond. Data est ei vt homini optimè merito potestas, quam tamẽ vt Deus naturaliter in omnia tenebat. Adde rẽ sæpe tum dici dari, quando innotescit. Nempe non tunc primùm potestatem in omnia acceperat Christus, sed quam ante habebat, post resurrectionem sibi datam esse declarauit.

21 *Quære*, Sicut caro & anima sunt homo, ita iuxta verba vestra, Deus & homo simul vnus est Christus. Si ita est, cùm occiditur homo, occiditur diuinitas. Iesus secundum vestram confessionẽ Deus & homo est & intereà occisus, occisa igitur est eius diuinitas. Si occubuit diuinitas, nõ fuit Deus. Nam Deus non potest interfici.

Respond. Stupidum argumentum. Nam eadem ratiocinatione effici posset animam hominis extingui, quia homo interire dicitur.

22 *Quære*,

22 *Quære*, Si ipse in mundũ venit vt obiiceret se supplicus & morti pro vobis, quare expostulabat de Iuda Iscariote, quòd se prodidisset? Nónne propterea venerat, vt iudicaretur & damnaretur.

Respond. Eò quidem venit, vt ad expiationem nostrorũ scelerum iudicaretur & dãnaretur mortis, sed non vt Iudas eo se maleficio contaminaret. Quod enim venit vt iudicaretur: id fuit obedientiæ ipsius: quod proditus est à Iuda, id fuit voluntatis eius prauæ, de qua meritò querębatur. Etsi enim idem vtriusque opus esset, diuersa tamen erat mens, cũ ille per humani generis amicitiã, hic per auaritiã rem administraret. Nec satis est se prębere diuinę voluntatis consiliiq; administrũ, vt nõ pecces, nisi prætereà peculiari quadã vocatione ad id delectus sis, ac deinde animũ, qui culpari nequeat, affetas. Horũ siue vtrumq; siue alterum desit, quãtumuis ad factum quidem ipsum Deus alicuius opera vtatur, quia tamen ad facti vitiositatem non cõcurrit vllo modo, crimen est grauissimũ. Exemplis è scriptura sancta sumptis oratio fiet illustrior. Volebat quidẽ Deus Semeim grauare pium Dauidem falsis criminationibus, quoad facti substantiam, nempe vt Dauidem exploratum demonstraret verè & seriò probum esse. Cæterùm non exors culpę Semeis, quoniam priuatim mandatum neq; per prophetã, neq; alterius generis oraculo acceperat. Præterea hoc agebat prauo fine, vt vindictæ appetitione, vt odio, &c. quorum nec author, nec approbator Deus. Ad hunc modũ, vt hodie Tur-

carum, ita olim Chaldæorum & Assyriorum reges, quos sæpe sacræ literæ virgas furoris domini appellant, Deus incitabat contra populum suum, vt istorum audacia vteretur ad scelerum vindictã. Num tibi propterea videntur immunes criminis? Atqui eos posteà acerbissimè punit. Nimirum instituto domini, qui per eos iudicium suum exercere cupiebat, iusta belli causa non contenti adiecerunt crudelitatem, superbiam, regni cupiditatem, numinis contemptum, &c. quorum causa pœnas
Zachar. 1. merebantur insignes. Dicta nostra confirmans Zacharias: Ira inquit, magna ego irascor, in genres illas opulentas: quia ego iratus fueram parum, ipsi
Esaiæ 47. verùm adiuuerunt in malũ. Esaias quoque. Iratus sum super populũ meum, profanaui hæreditatem meam, & dedi eam in manu tua, ô Babylonie. Nõ posuisti eis misericordias: super senem aggrauasti iugum tuum valde.

23 *Pete* ab eis qui dicunt nos esse in hoc exilio propter nostram in Christum iniquitatem, vt hoc constare possit? Nónne enim ab hinc ante mortem eius sumus in exilio? Deinde vt hoc verum sit, scriptum est ipsum hora mortis suæ postulasse à patre veniam, atque dixisse: *Pater, ignosce illis, quoniam nesciunt quid agant*. Quod si Pater & Filius vnum sunt, voluntásque eorum vna, profectò hanc iniquitatem remissam oportuit, maximè quia ipse per se propitiatio est.

Respond. Prius obiectionis tuæ membrum falsum est, cùm exilium vestrum cœperit quadragesimo se-

mo se-

mo secundo post Christum in cœlos assumptum anno, Vespasiano Cæsare, vt vel constat è tuorum commentariis. Ad posterius ita respōdeo. Oratio Christi vt maximè generalis esset, propriè tamen instituta erat propter electos, quibus certè remissa sunt peccata, cæteris in exilium hoc perpetuū propter dominum gloriæ impiè morti traditum profligatis.

REPREHENSIONVM IVDAIcarum, & vicissim defensionum Christianarum finis, G. Genebrardo authore.



ORATIO, QVAM PRO IVDAEIS QVIDAM EORVM AD *noſtram religionem conuerſus, ad Deum miſericordiarum patrem, tam piè vehementérque habuit, vt eam de Hebræo vertere, quàm aliam de integro cudere potius duxerim.*



OBSECRO domine, Deus propitiationis & creator miſericordiarum, qui geris te in omnem etatem & ætatem benignè atque miſericorditer, qui eleuatus es ſupra omnes altitudines. Obſecro Deus maieſtatum, ſuperans omnes laudationes, corona millium myriadum adornatus, recordare congregationis tuæ, quam poſſediſti ab antiquo, & memento iuramenti, quod deieraſti patribus noſtris, atque voti, quod promiſiſti illis. Inſpice quæſo in Chriſtum tuum, qui ab illorum nepotibus exortus eſt, quémque dediſti velut oblationem holocauſti, in expiationem iniquitatum noſtrarũ, & illuſtra oculos cæcorum iſtorum, ac tribue illis apertionem cordis, intelligentiæ & cognitionis, vt intelligant te fontem vitæ, vt agnoſcant cuncti terrarũ populi te eſſe Deum ſolum, qui facis mirabilia omni tempore, vti feciſti patribus noſtris à diebus priſcis. Scio equidem te non appetere mortẽ mortui peccatoris, ſed potius vt auerſus à ſua ſcelerata agẽdi ratione viuat. Precor igitur domine Deus, oro, obſecro ego ſeruus tuus, pro populo tuo Iſrael, miſericordiſt et inclina

domine

domine aurem tuam & audi, aperi oculos tuos & uide desolationes eorũ, quia sunt probro vniuersæ terræ, attende domine & audi, quia multiplicatæ sunt iniquitates eorum, quia rebellarunt in te, non crediderunt verbis tuis, nec attenderunt prophetis tuis, & superuenit eis malũ iuxta hũc diẽ. Propter- *Modus affir* ea cõmoueantur, oro, miserationes tuæ super filiis *mandi Hebraicus.* vestrũ tuorũ, & super populo, super quẽ inuocatũ est nomen tuũ. Propter gloriã nominis attende de cælis & vide de habitaculo sanctitatis & pulchritudinis tuæ, atq; conuerte cor eorum durũ, quemadmodum pollicitus es dicens: Dabo vobis cor car- *Ezech. 36.* neũ, & auferã à vobis cor lapideũ de carne vestra. Visita domine Deus spirituũ vniuersæ carnis congregationem istam malã, quæ coit aduersum te & aduersus Christũ tuum, & da illis cor nouum, nouum similiter spiritum, vt credant in Christum tuum, quem, vt eos redimeret, misisti, & reuertantur à via sua mala in ieiunio, fletu & planctu, propterea quòd peccarunt in te, ambulauerunt post cogitationes cordis sui praui, sapientes facti sunt in oculis suis, & ante vultus suos intelligentes, vt proinde non intelligant te, qui tribuis mentem & intelligentiam omni viuenti. Placeat igitur voluntati tuæ, vt verba oris mei, & dicta mea hæc, quæ supplex in cõspectu tuo fundo, accepta, exoratáq; sint domino Deo meo, vt exaudias precem serui tui pro dispersis istis exulibus, vt aperiant aures suas, & conuertantur ad te, qui vnicum es miserorum dulce [illegible] receptaculum. Amen.

Periocha

PERIOCHA ΥΠΟΘΕΣΕΩΝ trium partium huius opusculi.

1 De Trinitate, paginis 11.23. & seq sedecim atq pa. 63.64.66. & duabus seq. ent.
2 De filij Dei aeterna generatione, pag. 69.70.
3 Legem Mosis imperfectam esse in quatuor causarũ generibus, pag. 5.6.7.
4 De eius perfectione & praestantia, pag. 9.15.22. 23.27.
5 An Euangelium sit lex, pag. 9.10.29.
6 De Mosaicae fine & faelicitate, pag. 12.
7 De miraculis continuatis in veteri lege, pag. 13.14. 15. & 17.
9 De miraculis Euangelij, pag. 50.
9 Cur sacrificia in veteri lege instituta, causae tres, pagina 16.
10 De Eucharistia, pa. 17.18.51. et sequẽt. & pa. 116.
11 De genealogia Christi, pag. 16.53.
12 De virginitate Mariae, pag. 20.
13 De loco Esaiae, Ecce virgo concipiet pag. 21.54.
14 De loco Hieremiae, Rachel plorans filios suos, pa. 21.56.
15 Christianis ne vtendum sit iudicialibus Mosaicis, an Caesareis, pag. 57.
16 De locis Actorum tribus, quae pugnare videntur cum veteri testamento, pag. 24.25.57. & seq.
17 De Sabbato & die dominico, pag. 25.60.
18 An lex cogitationes malas damnet, pag. 26.61.
19 Quanti fiat ab Hebraeis diuus Hieronymus, pa. 62.

20

20 De regno Christi & Christianorū,pa.49.71.72.
21 De Sacerdotio Christi,pag.102.103.104.
22 De psalmo secundo, pag.63.& sequent.
23 De psalmo decimoquinto & de vsuris,pagin.73. & sequen.
24 De psalmo decimonono, Cœli enarrant,pagin.78. & sequent. & 27.
25 De psalmo vigesimoprimo, Exaudiat te deus in die tribulationis, pag.80.& sequent.
26 De psalmo vigesimosecundo de perpessione Christi,pag.82.& sequent.
27 De psalmo quadragesimoquinto, Eructauit cor meum verbum,pag.88.& 89.
28 De psalmo septuagesimosecūdo, Deus iudicium tuū regi da.pag.90.& seq.
29 De psalmo octuagesimoseptimo, Fundamētum eius in montibus sanctis,pag.96.& sequent.
30 De psalmo 110. Dixit dominus domino meo, pagina 98.& sequent
31 Quo pacto Christus causam præbuit ruinæ Iudæorum pag.106.
32 Christus ne legem Mosis soluit,pag.107.
33 Cur Christus filius hominis,pag.108.
34 De abrogatione cæremonialium,pag.109.
35 De ieiunio diei veneris,pag.eadem.
36 Quid præter prophetas Christus fecerit,pa.eadē, & sequent.
37 De duplici acceptione filij in scripturis,pag.110.
38 Cuius pacis Christus sit princeps,pag.111.
39 Cur Deus factus homo,pag.eadem.

40 De tridui sepulturæ Christi calculo, pag. 112.
41 De dicto Christi, Si habueritis fidem sicut granum sinapi, ubi & de miraculis Christi, pag. 113.
42 De eo, quòd Christus asinæ insedit, pag. 114.
43 De esurie Christi post quadragesimale ieiunium, pag. 114.
44 Vniusne rei fuerint multæ vmbræ Mosaicæ & typi, pag. 115.
45 De verbis domini, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, pag. 115.
46 Animane Christi doloris sensum perpessa est, pagina 116.
47 De duplici voluntate Christi, & duabus naturis, pag. 117.
48 De dicto Christi, Data est mihi omnis potestas, pagin. 118.
49 Iudásne proditor ex eo, quòd Christum mori oportuit, excusandus, pag. 119.
50 De exilio Iudæorum & oratione Domini, Pater ignosce illis, pag. eadem.

Deo laus, honor & gloria.

DE LIBRO ET AVthore *Arn. Pont. Burd.*

סַח־נִבְבָּר הַשּׁוּתֵל בָּנוּ אֶת־תַּבִינָה ׀
אַף כִּי אַתָּה שֶׁכּוֹנַנְתָּנוּ בְּאֱמוּנָה ׃
כִּי בַּסֵּפֶר אַתָּה סַלַּפְתָּנוּ הַחָכְמָה ׀
לַעֲגוֹת לָעִבְרִיִּים וּלְמִינִים מִמֶּנָּה ׃
עַל עִבְרִי אַתָּ חוֹנֵךְ סוּרוֹת הַמָּשִׁיחַ ׀
עַל סִין שֶׁאָב בַּן רוּחַ אַתָּה הַשְּׁכִינָה ׃
בּוֹילָאוּ

ΕΙΣ ΓΙΑΒ. ΓΕΝΕΒΡΑΡΔΟΝ.

Ἔσχ' ἅτε γηρυονῆ ξιφήρεα θειομάχους τρεῖς
  χριστιανὸς πιστῶν ἐσμὸς ἀγειρομένων·
Φιλοσοφίλους τε σοφούς, καὶ ἰουδαίων κακὸν ἀνδρῶν
  ἔθνος, ἀερσινόων αἱρετικῶν τε γένος.
Εὐσοχίῃ πατέρων δὲ σοφὸς πέσε ῥᾶστα δαμασθείς,
  Ἀλλ' ἑτέροιν κ' ἔτι νῦν θειομαχεῖ ἰκ χέρα.
Χάλκεον ἀλλ' ἔγχος Γενέβραρδος ἀφροσυνήσιν
  Σπάσατ' ἐπαμφοτέρους οὐ μάλ' ἐπισταμένως.
Εὐσεβέες γοῦν χαίρεθ' ὁμῶς, τρομέντε τε πάντες
  Δυσσεβέες νέον ὡς θεῖον ἀλεξίκακον.

Ἰω. κουρτηρίῳ

